



807

~~Dr. A. L.~~
~~Leipzig~~ ~~W. H.~~

Dreyfusches Almanach

24. Februar.

Alv. Tke

Index disputationum.

1. De sacra scriptura.
2. Scenimatum Lemmatum de Theologorum miscella.
3. Discursus Theologicus de formula concordie.
4. Quæst. An in causa religiosis scripta Vobiswypna vel arwypna sint probanda aut toleranda.
5. De Rei arafatryia seu incomprehensibilitate.
6. De Iesu Christo GearOpwirto g. Photinianos.
7. Examen refutationis Valentini Schmalzij.
8. De fide Jobi c. 19. v. 25.
9. Controversia de spiritu sancto g. Photinianos.
10. De homine et eius statu in legitimitate ante lassum.
11. De penitentia, confessione & absolutione.
12. De meritis bonorum operum.
13. Eiusdem argumenti.
14. De Apostasia Romano - Papistica Ecclesia.
15. De ecclesia.
16. Eiusdem argumenti.
17. De primatu Pape.
18. An papa sit Antichristus.
19. Eiusdem argumenti.
20. Resp. ad 8 questiones Jesuitarum Columbianarum.
21. De ministerio Verbi.
22. De nocturno Concionandi.
23. Quinq; chisp. de corruptelis trinae collegis p. Pontif. Calvin. O. Psalm.
24. De invocacione.

25. De pace Ecclesiarum.
26. De synarchismo
27. De Confessione

B.

Ecclesiæ Theologicæ
Disputatio I.
Abominationi Pontificie in Articulo
opposita
De
**SACRA SCR-
PTURA.**

In Collegio Privato,
CHRISTO Servatore docente
& adjuvante

Ad examinandum,
proposita,
In Academiâ Lipsiensi

die 1. Decembris Anno
M. DC. XIX.

Præside, T 162 (1)
M. THOMA WEINRICHIO,
SS. Theol, Baccal. Diac. ad D. Nicol. ibid.

Respondente,
M. BALTHASARE HILSCHERO, Hirsch-
bergensi Silesio, SS. Theol. Studioſo.

Lipsię,
Excudebat FRIDERICUS LANCKISCH.



VIRIS

Reverendâ Dignitate,
Religionis Integritate,
Doctrina Puritate,
Vitæ Sanctitate

Amplissimis, Clarissimis, Excel-
lentissimis, Spectatissimisq;
Dnis

Dn. CHRISTOPHORO VVALPURGERO, ♫ Dn. NICOLAO HUNNIO,
Dn. VINCENTIO SCHMUCCIO, ♫ Dn. FRIDERICO BALDUINO,
Dn. POLYCARPO LYSERO, ♫ Dn. VVOLGANGO FRANZIO,
Dn. HEINRICO HÖPFNERO ♫ Dn. BALTHASARI MEISNERO.

Dnn. Decanis & Senioribus Facultatis Theologicae,
ejusdemq; Doctoribus ac Professoribus publicis
illustriſſimarum Academia-
rum.

LIPSIENSIS & VVITEBERGENSIS
celeberrimis.

Dnis

Præceptoribus, Promotoribus & Patronis

Reverenter, humiliter & obſervanter ſibi colendis
& obſervandis

Hoc

Debitum

Obſervantiae & Gratitudinis

TESTIMONIUM

offert

M. Balthasar Hilſcherus.
RESPONDENS.





S T N Θ E Ω.

Ἐξέτασις ἐλεγχοῦ

A B O M I N A T I O N I S P O N T I F I C I A E,

In Articulo

D E S A C R A S C R I P T U R A.

T H E S I S I

Ert animus, divinâ favente & aspirante gratiâ, brevem instituere ἐξέτασιν, & quidem ἐλεγχοῦ, præcipuarum abominationum, quibus gens Pontifica, & in hâc cumprimis illæ societas Jesuitica, primarios Religionis Christianæ articulos, partim nefariè corrumpit; partim miris excogitatis sophismatis & mendaciorum spectris obscurat & involvit,

2. Inter hos verò, cum augustissimus ille articulus *De Scriptura sacra* facile principem locum obtineat, & Satanæ etiamnum per sua organa mirum in modum illum corrumpat, visum fuit, primo loco hâc vice eundem sub incudem disputationis privatæ revocare.

3. Quod enim Irenæus, Scriptor antiquissimus l. 3. adversus Hæreses c. 2. omnium Hæreticorū proprium esse censet, ut cum ex Scripturis arguuntur, mox in accusationem ipsarum Scripturarum convertantur, quasi non recte habeant, sed sint corruptæ, neq; sint ex autoritate, h. e. quod non sicut αὐθόπιστοι; sed canonicanam suam autoritatem habeant ab Ecclesia, quod varie itidem sint dictæ, i. e. sint ambiguæ & obscuræ, quodq; non possit ex his certa inveniri veritas, ab illis, qui nesciant traditionem: eius rei vivum quasi exemplar habemus in modernis aulæ Romanæ parasitis Jesuitis.

4. Etenim, cum errorum suorum, quos circa præcipua doctrinæ Christianæ capita quam plurimos fovent abominationes, vel unico Scripturæ admoto ariete ultrò concidero intelligent, minimè dubitant, Scripturæ sacrae majestatem ipsis etiam Angelis tremendam turpissimè violare, incautosq; à Scripturis tanquam certâ veritatis regulâ in periculosa traditionum humanarum devia impellere.

5. Testatum hoc faciunt pulcherrima & egregia illa scil. emblemata sive elogia, quibus Scripturam insignire audent, dum *nasum flexibilem, præceptorem mortum, judicem mortuum, materiam litis, atramentum sutorium &c.* nominant, & neficio cuius *obscuritatis, ambiguitatis, imperfectionis, incertitudinis, inutilitatis, insimulare* non verentur.

6. Tradit Philosophorum princeps Aristoteles hanc singularum disciplinarū & scientiarum esse naturam, ut certis iisq; αὐθόπιστοις καὶ αναποδείκνοις innitantur principiis l. anal. c. 30. & l. phys. c. 2. ex quibus non tantum illæ constant, sed ex quibus etiam omnis dicitur probatio: quorum etiam tanta sit autoritas & certitudo, ut qui in dubium ea vocare velit, cum eo ne disputandum esse existimet, imò is non hominis sani, & ratione prædicti elogium mereatur.

A 2

7. Es

7. Et id quidem non immeritò. Nisi enim hujusmodi principiorum quasi repagulis intra certos limites ingenii humani cohibeatur ferocia, in infinitum disputari, ac proinde omnem tolli scientiam necessum est, infinitorum siquidem teste Philosopho, nulla est scientia.

8. Quod si autem Philosophus, & qui eum adhuc sequuntur, tanto perè de suorum principiorum autoritate sartâ testâ asserendâ laborarunt. Quantò magis nobis annitendum fuerit, ut Sacrosanctæ nostræ scientiæ, Theologiae nimirum inconcussa ac immota stent principia, quæ tantò Philosophicis præstat scientiis, quanto divina humanis, æterna temporalibus, immortalia caducis antecellunt.

9. Quodnam verò illud *αὐτόπιστον καὶ αὐτοδεῖν* Religionis nostræ Christianæ sit principium, non una utrobiq; omnium est sententia.

10. *Enthusiastæ, Sibbenckfeldiani, & alii fanatici*, nescio quo vertiginis Spiritu abrepti, verbum DEI scriptum omni divinâ autoritate & efficacia spoliant, & ex arcanis revelationibus omnem fidei & salutis regulam petendam esse docent, quorum furor potius quam error multorum orthodoxorum Theologorum studio ita hactenus est protritus, ut de eo prolixius differere nihil attineat.

11. *Calviniani* eandem equidem hactenus nobiscum thesin circa constitutio-
nem principii Religionis Christianæ strenue contra Pontificios defendisse, & so-
lam sacram Scripturam principium esse *αὐτόπιστον* statuisse videri volunt: ve-
rū dogmatum ipsorum principiis paulò expensis accuratius res ipsa loquitur,
protestationem hanc esse contrariam factò, id quod vel ex hoc unico nullo nego-
tio cuivis demonstrari potest.

12. Qui enim verè & ex corde credunt, id quod nobiscum ore fatentur, so-
lam nimirum sacram Scripturam esse Religionis Christianæ principium *αὐτόπι-
στον*, illud etiam credant necesse est, quodlibet axioma Theologicum, quod in
Scripturâ sacrâ Deus vel de se, vel de rebus fidei protulit esse *αὐτόπιστον*,
καὶ αὐτοδεῖν, atq; ita prorsus comparatum, ut sine omni exceptione ac du-
bitatione pro rato illud sit habendum.

Ratio consistit in eo, quia non pars saltem Scripturæ sacræ: sed *πᾶσαι γέγο-*
νη, tota & ex omni parte est *Θεόπνος* quare, quoties quis de hoc vel illo a-
xiomate demonstraverit, ita scriptum esse à Prophetis & Apostolis: ita D E U M lo-
cutum esse, ita CHRISTUM docuisse, absq; ulla dubitatione assentiendum erit.

13. Jam verò Calviniani hoc posterius non credunt, id quod patet ex collatio-
ne axiomatum Theologicorum cum axiomatibus Calvinianis, quam instituere li-
cet in articulis, de dilectione D E I universali, de meriti C H R I S T I amplitudine,
de causa peccati, de Baptismo, Cœna D O M I N I, Prædestinatione, & qui sunt hujus
generis alii quam plurimi, in quibus non modò Calviniani Scripturæ dicta deprava-
vant, sed etiam Scripturæ sententiae è diametro pugnantia dogmata reponunt.

Ergò, & prius non credant necesse est, solam scil. sacram Scripturam esse
infallibile & *αὐτοδεῖν* Religionis Christianæ principium.

14. Photiniani recentiores blasphemè contendunt, hominis naturam ex lapsu
protoplastrorum non usq; adeò esse corruptam, ut sine interna Spiritus sancti illu-
minatione verum Scripturarum sensum assequi non possit, dummodò externa ali-
qua accedat revelatio, Per externum illum revelationis modum intelligentes ni-
hil.

nil aliud, quam externam illam verbi scriptio[n]em, quae ab omnibus legi possit. Verum, cum horum errores in alios potius fidei articulos impingant, soli vero *Esaia* bellum nobis de Scripturâ directe inferant, Religio nobis quoque est, de illis pluribus differere, sed potius adversus hos solos hac vice pugnabimus.

15. Ut autem *o[ste]r[ia] g[ra]m[mat]ic[ae]*, seu recte secare possumus hanc doctrinam, placet praesentem articulum septem capitibus sive questionibus complecti. Neque noster instituti est, ad vivum refecare jam singula, quae in hoc articulo sub disquisitionem veniunt: sed crassiores duntaxat visum est delibare errores, eosque ad traditionem verbi divini appendere.

16. I. Igitur quæstio erit *de Verbo DEI, ejusdemque autoritate*. An scilicet sacra Scriptura sit verbum DEI? & unde ejus autoritas sive fides dependeat?

II. *De Canone*, quinam Scripturarum libri pro Canonicis habendi sint?

III. *De perspicuitate*, an Scriptura ita sit perspicua, ut ab omnibus intelligi possit?

IV. *De interpretatione & judicio Scripturæ*, an Scriptura Prophetica & Apostolica sit Judex controversiarum infallibilis, sive, an verus Scripturarum sensus ex solis Scripturis sit petendus, an vero a Pontifice Romano, ejusque conciliis?

V. *De perfectione*, an Scriptura sacra sit perfecta, ut contineat totam doctrinam necessariam, tunc de fide, tunc de moribus?

VI. *De traditionibus* An traditiones (quas Jesuitæ sub Apostolorum autoritate Ecclesiæ obtrudere conantur, sint) verbum DEI non scriptum.

VII. *De lectione scripturæ*, an scilicet Sacrosancta Scriptura laicis quoque sit legenda?

De his ordine σὺν Θεῷ & quidem Διὰ βέραχέων.

C A P U T P R I M U M

De Verbo DEI, ejusque autoritate.

Q. An Scriptura sit Verbum DEI, & unde hoc constet?

17. Celebris est & cathedralium sermone trita Gregorii M. sententia l. 4. epist. Quod Scriptura sacra nihil aliud sit, quam certa quedam Creatoris omnipotentis ad creaturam suam epistola, quæ nos hortatur, ut bene vivamus. Quod ipso non obscurè innuitur, Scripturam Sacram non ab homine aut Angelo quopiam, sed ab ipso DEO suam traxisse originem, sicut id ipsum etiam ex multis Scripturæ testimoniis palam est Gen. 3. v. 3. & 15. 2. Tim. 3. v. 16. 2. Petr. 1. v. 21.

18. Ille enim hinc inde a mundi exordio ex arcana sua luce prodiens, essentiam & voluntatem suam generi humano patefecit Joh. 1. v. 18. idque vel αὐτόσως seu immediate, modo εὐμέσως seu mediate.

19. Immediate quidem locutus est cum primis parentibus nostris & ante & post Iapsum, proponendo iisdem ἀπόφοινοι ἀπεργοπωπων mandatum severissimum, de non atrectandâ arbore scientiae boni & mali, & comminando penas cum praesentes tunc aternas transgressoribus Genes. 2. v. 16. 17. Deinde consolacione efficaci eisdem erigendo in peccatum & mortem prolapsos, & annunciando πρωτευαγγέλιον de semine mulieris contrituro caput Serpentis Gen. 3. v. 15. Nec non deinceps etiam sua frequenter exercendo colloquia cum sanctis Patribus, utpote cum Noa Gen. 6. v. 13. 14. cum Abraham Gen. 10. v. 7. c. 15. v. 1. c. 18. v. 13. cum Isaaco Gen. 26. v. 2. 3. cum Jacobo Gen. 28. v. 13. & similibus, quorum exempla in Geneeskistoria passim sunt obvia.

20. Mediante verò doctrinam de essentia & voluntate sua, & de cultibus sibi præstandis, per Adamum primi seculi primum quasi Episcopum, Noam justitiae præconem, Semum Noæ filium, ejusdemq; posteros, per Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Josephum, atq; deinceps usq; ad exitum populi Israëlitici ex Ægypto, & Legis divinæ promulgationem in monte Sinai vivâ voce proponi, propagari, & quasi per manus posteritati tradi curavit.

21. Atq; ut tabulas Legis manu suâ scriptas in arcam foederis reponi jussit, Deut. 10. v. 2. ita & Mosis libros in latere arcæ collocari voluit Deut. 31. v. 26. eorundemq; ceu depositi preciosissimi custodiam & asservationem Sacerdotibus Regibus, adeoq; populo universo commendavit Deut. 17. v. 18. Jos. 1. v. 7. 2. Reg. 11. v. 12. Subinde etiam Prophetas & Doctores excitavit Act. 3. v. 18. 1. Cor. 12. v. 28. Ephes. 4. v. 11. qui non modò vivâ voce: sed & scriptis erudirent Ecclesiam, donec in assumtâ carne nostrâ ipse Filius D E I comparuit, & non modò promissionem primam primis parentibus nostris factam ipso opere adimplevit: sed & doctrinæ cœlestis præconio, & illustrium miraculorum testimonio, nec non discipulorum sibi ascitorum in orbem emissione Math. 28. v. 19. & 20. ita inclaruit, ut verbi cœlestis vox ad omnes omnium locorum homines penetraverit Psal. 19. v. 5. nec jam ullus excusationi locus reliquus sit, si quisquam salutis suæ negligentior animæ jacturam faciat.

22. Quamvis igitur Ecclesia primitiva, tam in V. quam in N. T. scripto D E I verbo aliquandiu caruerit, & sola doctrina vivâ voce tradita, & quasi per manus propagata, fuerit contenta: attamen decrescente quasi hominum memoria, & languescente studio in conservandis ac propagandis divinis oraculis vivâ voce traditis, Deus illa ipsa literarum notis comprehendendi, & librorum monumentis consignari & aservari voluit.

23. Hinc enim non solùm ipse exarato in tabulis lapideis Decalogo Scripturæ autor extitit Exod. 24. v. 12. sed & Mosi Exod 17. v. 14. Deut. 6. v 9. Prophetæ Esa. 8. v. 1. & c. 30. v. 8. Jeremiæ c. 22. v. 29. Ezech. c. 24. v. 2. Habac. c. 2. v. 2. & Apostolis Apoc. 1. v. 11. & c. 2. v. 1. & passim alibi concionum suarum consignationem literariam demandavit. Atq; hinc est, quod D. Paulus, gentium Doctor & Apostolus, tam Prophetica quam Apostolica scripta in solidum D E O accepta refert, dum ΥεαΦην & quidem ωσται ΥεαΦην Θεόπιλος είναι pronunciat 2. Tim. 3. v. 16.

24. De hac igitur Doctrina, quatenus D E I beneficio jam à Mose, Prophetis & Apostolis literarum monumentis consignata est, queritur, an ut verbum D E I sit recipienda, & unde constet, hanc Scripturam verè esse verbum D E I?

25. Quam quidem questione Romanenses ipsi instituunt, sicut videre est apud Rob. Bellarminum tom. 1. controversialib. 1. cap. 1. & ejus Hyperaspisten Seb. Heissum, Societatis Jesuiticæ Doctorem & Professorem in Academia Dilinganâ disp. 1. de Verbo D E I, quorum uterq; afferit, questionem hanc indignam alioquin, que tractetur apud Theologos Christianos, neperisse hoc tempore, partim Svenckfeldii & Libertinorum delirationem, partim Lutheranorum improbitatem & impudentiam.

26. Verum de Svenckfeldio & Libertinis non magnoperè amplius laboramus, utpote quorum errores jam olim à nostris Ecclesiis satis supexq; fuerunt damnati. Neq; etiam integrum est differere, Num Lutheranis justo titulo improbitatem & impudentiam ascribant. Utter enim impudentior & ad mentiendum pro-

clivior

clivior sit, L U T H E R U S, an verò Bellarminus cum suis sociis, alibi satis ostentat
est à nostris Theologis, & ex eo vel in primis cuivis manifestum esse potest, quod
Bellarminus Prædicto capite posteriore membro quæstionis suæ propositæ, (an vi-
delicet id solum pro verbo D E I habendum, quod Spiritus sanctus privatim unicuiq;
in corde loquitur) per latus Svvenckfeldianorum nostras petat Ecclesias, ac si ex sta-
tuentes Spiritum sanctum unicuiq; privato siyè laico, Scripturas piè scrutanti,
verum illarum intellectum impertire, simul statuant, privatas revelationes etiam
pro verbo D E I esse habendas, ubi sanè homo ipse impudentissimus insignem
mendacem & calumniatorem agit.

27. Neq; etiam illud dispiciemus, an quæstio hæc (*sitnè Scriptura Propheticæ*
& Apostolica, ut verbum D E I recipienda?) simpliciter sit indigna, quæ tractetur
apud Theologos Christianos, sic quidem afferente Bellarmino: pro diverso enim
quærentis affectu diversimodè de hæc quæstione statuendum est. Est enim vel
I. quæstio incredulitatis, quando movetur ab eo, qui simpliciter omnem Scripturæ
divinitatem tollit & abnegat. Quales olim fuere Manichæi, & hodiè omnes fa-
natici Sacram Scripturam verbum D E I esse purè negantes. Vel est II. quæstio
per veritas, quando movetur ab eo, qui quidem non purè, sed secundum quid
Scripturæ divinitatem abnegat, eamq; ab Ecclesiæ suspendit arbitrio, quales ho-
diè sunt omnes Papistæ, divinitatem Scripturarum Romano Pontifici ejusq; Eccle-
siæ subjicientes. Vel est III. deniq; quæstio docilitatis, quando à piis & fidelibus
in timore D O M I N I investigantur argumenta divinitatem & autoritatem Scriptu-
ræ confirmantia, quibus tum nos certiores fieri possumus, Scripturam sacram ve-
rè esse divinam, & verè verbum D E I, tūm etiam fanaticorum ora eò fortius ob-
tundere & obturare valemus. Et hoc sanè ultimo sensu, cum minimè possit im-
probari, quin quæstio hæc ex Scripturis explicetur, eo quoq; sensu & non alio in
præsentiarum illam tractabimus.

28. Et sanè initio optandum foret, ut Bellarminus statum controversiæ diser-
tius ipse proposuisset, quandoquidem hæc quæstio Lutheranis etiam debet esse op-
posita, verùm non sine causa hanc quæstionem ita nudè proponit ut ita facilius
queat imponere simplicioribus.

29. Vult enim initio videri, quasi ipse Scripturam Propheticam & Apostolicam
pro solo & unico verbo D E I, proq; certâ ac stabili regula fidei agnosceret, dum
interim in toto suo volumine nihil agit aliud, quam ut pro verbo D E I, vel traditio-
nes suas Pontificias substituat, vel id pro verbo D E I injusto titulo venditet, quod
privatim huic vel illi Papæ Spiritus ille, non lucis, sed tenebrarum, præter imò
contra manifestam Scripturam suggerit & instillat, vel deniq; certo & limitato re-
spectu Scripturam verbum D E I esse concedat.

30. Etenim, si ex Bellermine, vel alio Pontificio Scriptore queras, quo sensu
ipsi Scriptura sit verbum D E I, protinus ita Scripturæ autoritatem tibi concilia-
bit, ut simul dignitatis Pontificiæ rationem habeat.

31. Hinc in Epilogo capituli expeditam hanc tradit responsonem: *Scripturam sacram, literis Propheticis & Apostolitis comprehensam etenus tantum esse
verbum D E I, quatenus juxta mentem Ecclesie catholice (Romanam indigitans) &
etiam in Concilio 3. Cartaginensi cap. 47. & nuper Concilio Trid. sess. 4. explicetur.*

32. Quo sanè assumento non tantum totam Scripturam pessimè confundit,
omnemq; distinctionem inter libros Canonicos & Apocryphos convellit: Sed
etiam

etiam Scripturarum autoritatē soli Pontifici Romano ejusq; Ecclesiæ & Conciliis in solidū tribuit, imperitè simul ac præpostorē statuens, autoritatem Scripturæ pendere ab Ecclesia & Conciliis, non contra Ecclesiam ac Concilia à Scripturis.

33. Unde cardo questionis verus & legitimus in hoc capite is emergit, *An sacro-sancti Scriptura simpliciter sit Verbum Dei, & an ex se ipsa hanc autoritatem & fidem obtineat, An vero eatenus tantum, quatenus juxta mentem Ecclesiæ cum Conciliis explicetur.*

34. Ubi quidem Pontificii omnes communem hanc tenent hypothesin, ut Scripturæ judicium subterfugiant, afferentes autoritatem Scripturæ esse ab Ecclesia, & non vicissim Ecclesiæ autoritatem à Scripturâ: Sed ita tamen, ut in explicando hoc errore sibi ipsi non satis constent.

35. Bellarminus n. ipse, licet ad Ecclesiæ & Conciliorum testimonium provocet, attamen, quænam & qualis Ecclesiæ & Conciliorum, quorum meminit, mens sit, quæq; sit illa Ecclesia vera catholica, non satis definit, sed lectorem in suspenso relinquit. Posito igitur hanc vel illam Ecclesiam, hæcq; vel illa Concilia aliquid definiuisse & constituisse, autoritati Scripturæ contrarium, tamen id veræ nostræ sententiæ nihil præjudicare potest, quippe, cum Ecclesia illa vel sit Antichristiana, vel Concilia pleraq; habita eo tempore, quo jam Antichristus Romanus sedem suam & dominatum in Ecclesia contra Scripturas stabilire cœpit.

36. Imò, (posito hoc, non concesso) Ecclesiam verè catholicā aliquid Scripturæ contrarium affirmasse & decrevisse, nunquam tamen hunc errorem nobis obtrudi patiemur ut statuamus, Scripturam pendere ab Ecclesiâ, Ecclesiæq; longè majorem esse autoritatem, quam Scripturæ: quin potius firmiter contrarium defendamus.

37. Hermannus quidam, Scriptor Pontificius, eò progressus est impietatis & audaciæ, ut palam in has blasphemias voces erumpere non exhoruerit, *Scripturas defitutas Ecclesia autoritate plus non valere, quam fabulae valeant Aesopica.* Et Antradius lib. 2. defens. Trid. Conc. haud absimiles blasphemias in unum quasi fasciculum redegit. Verùm Bellarminus modestior reliquis videri volens, ut fucum aliquem huic impietati faceret, distinctiunculam quandam novam commiscitur lib. 2. de Concil. autoritate cap. 12. inquiens: *Quod nimur, quando catholici dicunt, Scripturam pendere ab Ecclesia siue Concilio, non intelligant simpliciter quoad autoritatem & secundum se: sed quo ad explicationem quoad nos.*

38. Verùm res eodem recidit, hocq; nihil aliud est, quam fumos vendere & turpiter petere principium. Nam hoc ipsum est, quod controvertitur, si statuatur, Scripturarum autoritas & fides, quoad explicationem, & quo ad nos, ab Ecclesiæ vel Conciliorum pendere autoritate.

39. Etsi enim Ecclesiæ (non Romanæ, sed primitivæ & orthodoxæ.) testimonium de Scripturis latum, minimè rejiciamus. quin potius gratâ mente ultrò amplectamur: interim tamen disertè negamus, ab hoc solo Ecclesiæ testimonio autoritatem & fidem Scripturarum, etiam quo ad nos, dependere.

40. Est enim multò certius & illustrius testimonium, quo nobis persuadetur, hos libros esse sacros & Geonv. 1585, testimonium nim. internum spiritus sancti, sine quo Ecclesiæ commendatio nullius apud nos ponderis aut momenti futura esset.

41. Pa-

41. Pari penè modo, quo Joh. 4. v. 28. & 42, Samaritani initio quidem mulieris testimonio illecti, excurrunt ad audiendum C H R I S T U M : sed postmodum ipsummet audientes in hunc erumpunt sermonem: Non jam propter tuum creditus testimonium, ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est Salvator mundi.

42. Et ne longius abeamus, producemos jam aliquot argumenta, quibus sententiam nostram orthodoxam muniamus, Scripturæ scil. autoritatem minime pendere ab Ecclesia, sed potius Ecclesiæ à Scriptura. Argumentum ergo sit.

43. I. In omni disciplinâ principia & axiomata debent esse vera, prima, immediata, quæ nec probari debent, nec possunt ex aliis. Sunt enim principia auctoritatis in se certam rationem habentia, quæ illis fidem facere possunt, ut supra thesi 6. probatum est.

Atqui tota Scriptura sacra, & omnes ejus sententiæ sunt principium Religionis divinæ, patentibus hoc adversariis, ut videre est in Bibliotheca Sixti Senensis lib. 6. annotat. 151.

Ergo sacra Scriptura sibi ipſi, ut principio abundè testimonium perhibebit, quod sit divina, & per consequens testimonio Ecclesiæ probari nec potest nec debet.

44. II. Si Scriptura sacra tantæ est auctoritatis, ut qui illi fidem non habet, nec C H R I S T O ipſi coram prædicanti sit crediturus, tum Scriptura ipsa per se sat confirmabit, quod sit divina.

Sed verum prius, Ergo & posterius.

Affumtum probatur ex dicto Joh. 5. v. 46. & 47. ubi C H R I S T U S ait: Si crederetis Moſi, crederetis forsitan & mihi, nam ille de me scripsit, si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?

45. III. Si C H R I S T I auctoritas non pendet ab Ecclesiæ testimonio, utiq; nec Scripturæ auctoritas ab Ecclesiæ testimonio pendebit.

Sed verum antecedens, Ergo & consequens.

Major probatur ex eō quod non sit minor Scripturæ auctoritas, quam ipius C H R I S T I, uti patet ex allegato Joh. 5. v. 46. & 47.

Minor probatur, Joh. 5. v. 34. ubi C H R I S T U S ait: Ego non ab homine testimonium accipio, q. d. non opus est, ut mihi quisquam suo testimonio auctoritatem tribuat, opera enim divina, quæ ego jussu Patris mei facio, testabuntur, me verum D E I esse Filium, & Messiam.

46. IV. Cujus inspiratione sacra Scriptura conscripta est, illius etiam testimonio interno constare potest, illam esse divinam. Cujus enim est tradere sacram Scripturam, illius quoq; est eandem confirmare.

Sed solius Spiritus sancti inspiratione sacra scriptura conscripta est 2. Tim. 3. v. 16.

Ergo etiam solius Spiritus sancti testimonio constare potest, scripturam sacram esse divinam.

47. V. Quicquid potenter efficit ea, quæ non nisi virtute divinâ possunt effici, illud etiam per se divinum sit necessum est.

Atqui Sacrosancta Scriptura potenter efficit ea, quæ non nisi virtute divina effici possunt, lætitificat enim cor hominis, convertit mentes ad D E U M &c. Psal. 19. v. 8. 9.

Ergo sacra Scriptura etiam per se divina sit necessum est.

48. VI. Quæcunq; Scriptura ejus est autoritatis & ponderis, ut nullius creaturæ judicio sit subjecta, ita ut ne fas sit Angelis, nedum hominibus aliquid adimere vel adjicere vel immutare, illam per se divinam esse oportet.

Sacra Scriptura est talis. Galat. 1. v. 8. Ergò &c.

49. VII. Ex hisce & aliis testimoniis internis septimo loco sic etiam colligimus: Quicquid ex aliis quoq; testimoniis & rationibus firmissimis nobis certum & liquidum est, illud ex solius Ecclesiæ testimonio nobis constare non potest.

Atqui Scripturam Sacram, Propheticam & Apostolicam esse divinam ex aliis testimoniis firmissimis nobis certum & liquidum est.

Ergò ex solius Ecclesiæ testimonio hoc nobis non constabit.

50. VIII. Id quod errore vacat, autoritatem veritatis accipere non potest ab eo, quod errori est obnoxium.

Atqui Scriptura sacra errore vacat 2. Tim. 3. v. 16.

Ergò ab Ecclesia, quæ errori obnoxia Luc. 18. v. 8. autoritatem veritatis accipere non potest.

51. IX. Quodcunq; testimonium non sufficit ad veram Scripturæ Prophetice & Apostolicæ cognitionem & ad fidem firmam, ut nobis certò persuadeat, quod verè sit verbum DEI, ex illo nobis non constat, Scripturam Propheticam & Apostolicam esse divinam.

Atqui Ecclesiæ testimonium non sufficit.

Ergò ex solius Ecclesiæ testimonio non constat, Scripturam esse divinam.

Minor probatur, quia solo Ecclesiæ testimonio non potest ullus adduci. ut cognoscat & verè credat hanc Scripturam esse Ἰωάννης: imò ne universa quidem Ecclesia potest vel uni largiri fidem, & certam hanc persuasionem, quippe quæ solius DEI donum est Joh. 6. v. 29.

52. X. Si Scriptura V. T. ab Ecclesia ejusdem autoritatem non accipiebat divinam, sed propter alia divina testimaonia, utiq; nec N. T. Scripturæ autoritas ab Ecclesiâ pendebit.

At prius est verum, 2. Reg. 5. v. 15. Ergò & posterius.

53. XI. Quicunq; non est testis Ἰωάννης veritatis, cui creditur propter se, ex illius etiam testimonio solo non constabit, scripturam sacram Propheticam & Apostolicam esse divinam.

Atqui Ecclesia non est testis veritatis Ἰωάννης, cui creditur per se.

Ergò.

Minor probatur, Nam Ecclesia ne minimam quidem autoritatem habet testificandi, & prædicandi quicquam, nisi quod à DEO mediante Scriptura Prophetarum & Apostolorum accepit, Gal. 1. v. 9. Contra vero Scriptura eam in se habet vim, ut ad ipsam usq; animam penetret, & ad intimos cordis recessus, & nobis persuadeat, quod sit divina, juxta Luc. 24. v. 32. Ebr. 4. v. 12.

54. XII. Si ex interno Spiritus sancti testimonio nobis certissime constat, de DEO erga nos amore, CHRISTI gratia, & vitæ æternæ hæreditate, utiq; eodem testimonio de ipsius Scripturæ testimonio & majestate nobis constabit. Ratio consequitur est ex Scripturæ definitione, siquidem est doctrina impulsu Spiritus sancti à Prophetis & Apostolis literarum monumentis consignata, de DEO tūm essentia & voluntate, tūm ejusdem amore & gratiā nos instruens ad vitam æternam.

Jam

Jam verò, si de Dei amore possumus esse certi ex isto suffragio, multò magis de ipsius doctrinā poterimus esse certi, quæ amoris istius index est.

At prius est verum ex Rom. 8.v.16. Ergò & posterius.

55. XII I. Quodcunq; testimonium per se merè humanum est, ex eo solo nequaquam nobis constabit, Scripturam Propheticam & Apostolicam esse divinam.

Atqui Ecclesiæ testimonium per se merè humanum est. Ergò &c.

56. X IV. Si Judæi interno suffragio poterant esse certi de V. T. Scripturâ, sine testimonio Ecclesiæ, ergò & nos de N. T. & per consequens de integrâ Scripturâ, certi esse possumus, cum non sit ratio dispar:

At prius est verum Joh. 5. v. 39. Ergò & posterius.

57. X V. Si in primitivâ Ecclesiâ, Galatæ, Thessalonicenses, Berrhoenses & alii, auditio verbo Scripturæ, doctrinam istam tanquam divinam agnoverunt, tunc sine judicio Ecclesiæ Scriptura divinam autoritatem apud nos habere poterit.

Atqui prius est verum. Sic enim de Thessalonicensibus legitur i. Thess. 2. v. 13. quod nullo Ecclesiæ judicio auditio, ex nudo doctrinæ genere, & Spiritus sancti testimonio, persuasi Evangelium agnoverint. Idem legitur de Galatis Galat. 4. v. 14. Quod receperint doctrinam Evangelii sine ullo Ecclesiæ judicio. Nec non de Berrhoënisbus Act. 17. v. 11. Imò totius primitivæ Ecclesiæ exemplum idem evincit. Sic enim libri Mosis, quamprimum dati fuerunt à Mose populo Israelitico, statim habuerunt apud Israelitas divinam autoritatem, nullo præcedente Ecclesiæ judicio. Sic Prophetarum quoq; libri, ut & Evangelistarum & Apostolorum N. T. quam primum dedicati fuerunt fidelibus, statim divinam apud ipsos habuerunt autoritatē, nullo Ecclesiæ judicio antegresso. Nuspiciam enim legitur, quod Romani, Corinthii, Galatæ, Ephesii &c. quibus Paulus suas inscripsit Epistolas, prius Ecclesiam convocaverint, aut Concilium cogi curaverint, ut ejus judicium explorarent, an illæ Epistolæ essent inspiratæ divinitùs, sed quāmprimum acceperunt, pro divinis eas agnoverunt. Quod si igitur Scriptura non fuit acceptata ut divina, ex judicio & testimonio Ecclesiæ primitivæ, multò minus ejus autoritas pendebit ab Ecclesia, quæ nunc est.

58. X VI. Cui Ecclesia subjicitur & inservit, ejus autoritas nullo modo ab Ecclesiæ testimonio potest pendere.

Sed sacræ Scripturæ subjicitur & inservit Ecclesia.

Ergò Scripturæ autoritas non pendet à testimonio Ecclesiæ.

Major ex eo constat, quod bardum sit, & ab omni ratione absconum, ab inferiori pendere autoritatem superioris.

Minor. Scriptura verò est superior, quod patet ex plurimis Scripturæ dictis, quibus Ecclesia jubetur adhærere Scripturæ, eiq; obtemperare Deut. 4.v.1. Esa. 8.v.20. Ezech. 20. v. 19. Luc. 16. v. 29. Joh. 5. v. 39. 1. Tim. 4. v. 13.

59. XVI I. Cujus tantum Ecclesia est custos, præco & interpres, ejus autoritas à testimonio Ecclesiæ pendere non potest.

Atqui Scripturæ sacræ Ecclesia tantū est custos, præco & interpres, cuius ministerio prædicatur, nihil de suo comminiscendo, sed Scripturas per Scripturas explicando.

Ergò Scripturæ autoritas à testimonio Ecclesiæ pendere non potest.

Major probatur à simili. Nam si à nuncii seu tabellionis testimonio non pendet autoritas Epistolæ Principis terreni, multò minus autoritas Scripturæ, quæ est Epistola Principis cœlestis Dei omnipotentis, pendebit à testimonio & judicio ejus præconis: Sed uti Regiis Edictis propter se credimus, non propter vocem præco-

nis, ita & Scripturæ fides habenda erit, propter se; non propter Ecclesiæ testimoniū.

60. XVIII. Quicquid est fundamentum & semen Ecclesiæ, ex quo gignitur, id suam autoritatem nullo modo ab Ecclesia habere potest. Fundamentum enim non accipit robur ab ædificio superstructo, nec semen vim suam habet à fructu, sed contra.

Atqui Scriptura sacra est fundamentum Ecclesiæ Eph. 2. v. 20. est semen incorruptibile, ex quo gignitur Ecclesia 1. Petr. 1. v. 23. 1. Cor. 4. v. 15.

Ergo Scriptura sacra ab Ecclesiæ judicio & testimonio suam autoritatem minimè habere potest.

61. XIX. Quodcunq; ipsummet Scripturæ sacræ testimonio eget & nititur, ab eo nullo modo Scripturæ autoritas pendere potest.

Atqui Ecclesia ipsa Scripturæ eget & nititur testimonio.

Ergo Scripturæ autoritas ab Ecclesiæ testimonio pendere non potest.

Major; cum per se clara sit, Minorem sic probamus, quia Ecclesia ipsa, se esse veram atq; Catholicam Ecclesiam, aliundē probare non potest, quām ex Scriptura, id quod patet exemplo Pontificiorum. Certe ipsimet, quando suæ Ecclesiæ structuram, ejusq; formam ac statum nobis contestatum reddere laborant, nonnē Scripturæ utuntur testimonii, veluti Matth. 16. v. 18. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Item Matth. 18. v. 17. dic Ecclesiæ &c. & quæ sunt eius generis alia consimilia. Quid verò opus esset tanto cumulo allegare Scripturarum sacrarum dicta, si ex illarum testimonio de Ecclesia CHRISTI non esset judicandum.

62. XX. Quodcunq; testimonium varium est, & à seipso dissidens, adeoq; dubium incertum & fallibile, ab eo autoritas Scripturæ nequaquam dependet. Fidei enim infallibilis debet esse infallibile fundamentum.

Atqui testimonium Ecclesiæ est tale; Quod ex eo constat, quod Ecclesia de libris Scripturæ mox post Apostolorum tempora ad hoc usq; seculum variè statuit quosdam libros, modo ex divinorum censu excludens, modò illos recipiens, Ergo.

63. Ex hisce igitur argumentis cuivis satis manifestum esse potest, autoritatem Scripturæ sacræ nullo modo pendere ab Ecclesiæ testimonio, sed potius Ecclesiam à judicio Scripturæ, propter divinam illam autoritatem, quam in & ex se obtinet.

64. Proinde, corrigamus primū hunc errorem Pontificium, & verbo DEI edocti statuamus, Scripturam sacram in se esse ἀὐθόνον, suamq; autoritatem & fidem tum respectu sui, tum respectu verè fidelium, nullatenus obtainere ex Ecclesiæ testimonio, sed ex seipso, & proinde Ecclesiam ex omni parte posteriore & inferiorem pendere à solo nutu & autoritate Scripturæ, nego, majorem fidem ei debere, quām quantam Scriptura ipsa ei impertit ac largitur, juxta illud Esa. 8. v. 20. Ad legem & ad Testimonium, si non dixerint secundum hoc, non videbunt auroram matutinam.

65. Et hæc ipsa etiam orthodoxæ antiquitatis est mens & sententia, utpote Augustini lib. de unit. Eccl. cap. 16. dicentis: Ecclesiam in Scripturis sacris Canonis debemus agnoscere. Item epist. 106. In Scripturis didicimus CHRISTUM, in Scripturis didicimus Ecclesiam, has Scripturas communiter cum habeamus, quare non in eis & CHRISTUM & Ecclesiam communiter retineamus.

66. Au-

66. Augustino suffragatur Chrysostomus hom. 46. & 49. Ecclesia, inquiens, est Jerusalem, cuius fundamenta posita sunt super montes Scripturarum.

67. Non est vero, ut quis Jesuitarum cavilletur, quasi hisce & aliis rationibus Ecclesiam omni prorsus spoliaremus autoritate & potestate. Licet enim *absolutam* ei negemus, quaeque major sit quam Scripturæ: interim tamen *limitatam & conditionatam* ei ultro largimur, quæ potestas respicit vel doctrinam vel disciplinam.

68. Quo ad doctrinam quidem, quatenus nimirum ea non modo testimonium indubitatum perhibet, hos ipsos libros Biblicos, quos pro divinis & Canonicis agnoscimus verè esse divinos & Canonicos, id quod præcipue primitivam Ecclesiam, quæ ex ipsis Apostolorum manibus, illa accepit monumenta, spectat: sed etiam, quatenus veritatem doctrinæ ad amissim scriptorum Prophetiorum & Apostolorum examinat, & quod cum his consentit fidei *ἀνάλογον*, quod vero eis repugnat, eidem *ἐτερόλογον* esse pronunciat.

69. Ubi tamen nunquam *τερώτως* sed *δοκέως* semper judicio & sententiæ Ecclesiæ est standum. Solis enim Scripturis Canonicis didicimus cum Augustino, hunc deferre honorem, ut nullum earum autorem scribendo aliquid errasse statuamus. Ecclesiæ vero decreta & responsa, quantilibet etiam sanctitate & doctrinâ præpolleant: non tamen ideo vera esse censeamus: quia ipsa ita sentit; sed quia mihi vel per illos Canonicos autores, vel probabili ratione, quæ à veritate non abhorreat, ita persuadere potuit.

70. Quo ad disciplinam vero, habet Ecclesia suam autoritatem & potestatem, partim in Legibus ad *ἐυτοξίαν ηγήσαντην* pertinentibus, partim vero in correptione & censura errantium.

71. Ubi rursus neutro respectu absoluta potestas ei competit, sed limitata, ut nimirum *in priore* illo genere, caritatis & libertatis Christianæ memor, temporum, locorum, aliarumque; circumstantiarum rationem habeat. *In posteriore* vero accuratè distinguat inter errantes contumaces sive præfractos, & inter eos, qui ex imprudentiâ quadam peccârunt. Utrobiisque enim considerandum, quid cujusque ferat conscientia.

72. Concludimus ergo primum hoc caput & *Ζήτησα*, Scripturam sc. sacram verè esse verbum DEI, ejusque autoritatem & fidem non ex Ecclesiæ testimonio, sed ex seipso pendere, afferentes firmiter, cum insigni errore esse coniectum, neque ullo modo ferendum, si quis contrarium (quacunque; etiam limitatione & distinctione adhibitâ) statuat atque defendat.

C A P U T S E C U N D U M.

De Canone Scripturæ Sacrae.

*Quisnam autor sit Canonis Scripturæ, & quinam libri Biblici
hoc nomine veniant?*

73. Scripturæ sacræ nominè vulgo quidem veniunt libri omnes, quotquot volumine Biblico continentur. Quamvis enim autoritate non omnes pares sint, quia tamen, vel propter doctrinam, vel propter historiam populi in sistema Bibliorum relati, pro sacræ Scripturæ voluminibus semper ab Ecclesia habiti sunt, probè

h. 1, observandum est, quod duo isti termini (sacrum & Canonicum.) non plane sint *άντισης*: sed unâ parte tantum convertibiles & reciproci, ita quidem, ut omne scriptum Canonicum verè sit sacrum, non verò omne sacrum sit Canonicum.

74. Quæstio igitur hîc inter nos, & adversarios est de Canone, quæ vox ratione sui etymi est *εγγέαθος* Psal. 19. v. 5. Rom. 10. v. 18. Gal. 6. v. 16. Phil. 3. v. 15. 16. ubi Scriptura disertè Canon appellatur, Metaphorâ petita ab Architectonica.

75. Quemadmodum enim Architecti ædificium extruentes omnem suum laborem ad normam sive regulam certam exigunt, ut singulæ partes justâ symmetriâ ac proportione inter se cohærent: ita quoq; docentes atq; exædificantes Ecclesiam D E I Scripturam sequi oportet, quæ est exactissima Regula, tum fidei Christianæ, tûm morum piè vivendi, secundum quam omnia reliqua, sive fidelium sive infidelium, scripta ac dogmata dijudicare oportet, ipsam verò per aliam aliquam regulam judicari minimè fas est.

76. *Quis verò autor sit hujus canonis constituendi? & quinam libri Biblici hoc nomine veniant.* An omnes cum omnibus suis partibus, prout nostro hoc tempore in Bulgatâ editione Bibliorum habentur, pro Canonicis suscipiendi sint: An verò nonnullos Apocryphis annumerare conveniat? Illud est, de quo inter nos & doctores Pontificios disceptatur.

77. Pontificios enim quod attinet, illi, quoad prius propositæ quæstionis membrum, solam Ecclesiam Romanam, ejusdemq; summum Pontificem eâ autoritate prædictum esse existimant, ut etiam neglecto & posthabito orthodoxæ Antiquitatis consensu possit judicare, qui liber Biblicus pro Canonicô haberî debeat, qui non, Imò qui ex non Canonico possit facere Canonicum, & vice versa.

78. Sic referente Stapletono lib. 9. princip. doctrinal. cap. 14. in fine controv. 5. ubi ait: *Est penes Ecclesiam hujus temporis, librum aliquem alium, nondum in Canonem receptum, Apostolorum tamen tempore conscriptum, & nunquam hæc tenus Ecclesiæ judicio reprobatum, V. G. Librum Hermæ, & constitutiones Apostolicas à Clemente editas in numerum librorum sacrorum, & certè Canonicorum referre.* Itaq; non magnoperè intererit, quid vetus & prima Ecclesia de hoc aut illo libro senserit, modò pontifex Romanus recipiendum existimaverit.

79. Idem statuit Tannerus pag. 203. relat. compend. scribens: *De Scripturâ sacrâ, depositâ autoritate Ecclesiæ, constare non potest, quod sit Canonica.*

80. Idem censet Mel:Canus lib. 2. cap. 7. *Ad sumum Pontificem (inquiens) pertinet definire, qui liber sit Canonicus.*

81. Verùm nostrarum Ecclesiarum purior est mens & sententia, quod videlicet constitutio Canonis autorem habeat, non Pontificem tricoronatum: sed ipsum D E U M, qui tamen non immediatè, sed mediatè illum constituit, nempe per Ecclesiam, non tamen quamlibet: sed eam tantum, quæ illis temporibus, quibus Canonici scriptores in carne vixerunt, non modò vicina, sed & propria & plane σύγχρονος fuit.

82. Cùm enim extra controversiam positum sit. Scripturam ut id sit, quod in seipsa est, nempe cœlestis veritas, non habere nisi ex D E O ipsius autore, utiq; & illud erit manifestum, quod Scriptura est Canonica, illud principaliter à solo D E O habere: quippe cujus voluntate, mandato & revelatione cœpti sunt libri

illi

illi haberi pro Canonicis, quos D E u s ipse Canonicos esse, & cœtui fidelium innotescere voluit, ut non tantum de autore: sed & Canonica autoritate illorum librorum indubitatō constaret.

83. Proindē, quando inter nos & Jesuitas potissimum controvertitur, unde *enam Scriptura habeat, ut sit Canonica*, h. e. ut fidem prorsus indubiam mereatur, tūm circa dijudicationem dogmātum Ecclesiasticorum, tūm circa informationem vitæ morumq;? Respondeamus ingenuè, Scripturam hoc non habere ex sententia & iudicio Papæ, quia hic vel ille Papa cum suo Clero & Ecclesiā ita decernit.

84. Papa enim Romanus 1. ne minime testimonio liquidò docere potest, officium tam arduum tamq; sanctum sibi divinitū esse delegatum. 2. Spiritū sancti luce interdum ita prorsus est destitutus, ut ipsum à Spiritu tenebrarum agitari nemini sit obscurum. 3. facilè à sensu Spiritū sancti devius in errores incurrere potest. 4. ejus sententia s̄apenum erat admodum absurda, jejuna, insulsa, ridicula, adeoq; cum ludibrio verbi divini conjuncta, cuius exempla in jure Canonicō, in decretalibus, & aliis Pontificum Romanorum scriptis passim sunt obvia. 5. nullus eorum sacrarum literarum solidâ cognitione hactenus excelluit.

85. Sed potius Scriptura sacra primūm hoc habet ex seipsā, quippe quæ divinitū est inspirata 2. Tim. 3. v. 16. & conscripta ab iis, qui à Spiritu sancto impulsi locuti sunt & scripserunt 2. Petr. 1. v. 21. Deinde constare id nobis potest, ex internis illis *κεντησόμενοις*, & aliis argumentis, quæ si non sigillatim, saltem conjunctim sumta perspicuè hoc edocent.

86. Cujusmodi sunt, 1. D E I in Scripturā sacrā de se laquentis Majestas, 2. mysteriorum supercœlestium sublimitas, 3. visionum divinarn admiranda varietas. 4. vaticiniorum manifesto eventu demonstrata veritas, 5. Scriptorum sapientissimorum intemerata sanctitas, 6. styli & sermonis, simplicis pariter & gravi, adeoq; præ aliis hominum Scripturis genium humano majorem spirantis, singularitas, 7. integrissima diversissimorū librorum concinnitas, 8. Doctrinæ antiquitas, 9. Ejusdēq; in ciendis percellendis accendendis & demulcendis animis efficacitas, 10. Miraculorum, quibus ceu sigillis suis D E u s ipsis fidem conciliavit, celebritas, 11. Martyrum, qui sanguine suo obfigurarunt, magnanimitas, 12. Mundi totius, qui istos libros, quamlibet à rationis iudicio, & carnis sensu abhorrentes, magno consensu recepit autoritas, 13. Vindiæ divinæ adversus violatores severitas, & quæ sunt hujus generis testimonia alia, ex quibus certi esse possumus, de Canone Scripturæ.

87. Vanum igitur ac frivolum est commentum hoc Jesuitarum, contendentiū, Papam cum suo Clero habere autoritatem constituendi Canonem, eāq; prædictum esse potestate, ut librum aliquem non Canonicum pro libitu possit facere Canonicum. Quod enim nulli Ecclesiæ absoluta hæc potestas competat, præcedenti capite satis est ostensum.

88. Et sane, quamvis externo Ecclesiæ primitivæ testimonio convicti adversus Romanenses simpliciter negare non possumus, quod ex traditione & testimonio primitivæ Ecclesiæ constet, libros Canonicos esse Canonicos, quodq; Evangelium Matthæi sit Matthæi, quod Epistola ad Romanos sit Pauli &c. quippe quæ, Tertulliano teste, ipsa habuit Apostolorum *αὐτογένεσις*, & proindē indubitatō hac in parte testari potuit: attamen tum demum certam & salutarem *πληροφορίαν* assequimur, quando islem Spiritus DEI, quo libri illi scripti atq; editi sunt, in membris

tibus nostris per interna illa *κείμενα* de autoritate Scripturæ Canonicæ testatur. Interno hoc testimonio qui caret, quantumvis Ecclesiam mille audiat, incertus tamen semper apud se dubiusq; fluctuabit.

89. Non est itaq;, quod Jesuitæ tam sollicitè ad testificationem Ecclesiæ provocent, probè enim observandum est discrimen inter testificationem Ecclesiæ primitivæ, & inter testificationem Ecclesiæ præsentis.

90. Præsenti enim Ecclesiæ non credimus, nisi ejus testimonium cum testificatione primitivæ Ecclesiæ ex esse congruat. Primitivæ autem Ecclesiæ credimus, quod partim ipsos Apostolos docentes audivit, partim ipsorum *ἀπογραφα* ad manus habuit, quemadmodum Tertulianus disertè affirmat, suo adhuc tempore illa *ἀπογραφα* in Ecclesiis Apostolicis extitisse.

91. Pòsterius verò quæstionis propositæ membrum quod attinet, *An fidelicet libri singuli atq; universi utriusq; Testamenti, quotquot quidem in Bulgatâ editione, sive latinâ sive germanicâ reperiuntur, pro Canonicis sint habendi?* An verò nonnullos libros Apocryphis annumerare conveniat? Pontificii itidem prius affirmant, usq; adeò, ut secus statuentes Anathemate feriant, sicut videre est in *Concilio Trid. sess.*

4. Et apud Bellarminum lib. i. de Verbo D E I cap. 4. ubi Apocryphos nominat eos tantum libros, quos partim pro somniis & fabulis, partim verò pro supposititiis semper habuit Ecclesia. Illos verò libros, quos nos tūm in V. tūm N. T. Apocryphos indigitamus. illi Ordini librorum accenset, qui verè sunt Prophetici & Apostolici, adeoq; Canonicam autoritatem obtinent.

92. Verùm nituntur Jesuitæ hāc in parte falso principio, existimantes, quod nim. in Ecclesiæ recentioris & quidem Romanæ potestate positum sit, illum etiam librum Canonicā autoritate donare, qui à primitivâ Ecclesiâ pro Apocrypho semper est habitus.

93. Nos proindè negativam hujus quæstionis tenentes, posteriori suffragamur, & inania bruti istius fulminis terriculamenta floccipendentes prius improbamus, statuentes, eos tantum libros V. & N. T. pro Canonicis agnoscendos esse, qui scripti sunt ab iis, quorum mentes Spiritus sanctus sic illuminavit, manus vero in scribendo sic gubernavit, ut à veritate nullibi aberrare, à certitudine nunquam defletere, in scribendo nuspia hallucinari potuerint, teste Augustino lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 11.

94. Licet enim h. l. obstrepere possint Jesuitæ, quod, ipsos Prophetas & Apostolos lapsos esse, ipsa Scriptura sacra attestetur, uti constat de Petro Gal. 2. v. 11. Parùm tamen aut nihil proficient. Non enim statuimus, donum illud Spiritus sancti in scriptoribus istis Canonicis ita fuisse perenne ac continuum, ut quovis loco & tempore, & quidem in communi conversatione, sive totius vitæ decursu, nullatenus labi aut errare potuerint, (ita enim ex communi hominum censu eximerentur & crederentur fuisse *ἀνάπτυχοι*, contra illud Pauli Rom. 7. v. 15.) sed illud dicimus, ipsos neq; errasse, neq; errare potuisse tūm, quando mens & lingua eorum fuit calamus ipsius Spiritus sancti, freti promissione dulcissimâ Apostolis factâ de Spiritu sancto, introducturo ipsos in omnem veritatem, & suggesturo ipsis, quid loqui ac scribere debeant Matth. 10. v. 19. Joh. 16. v. 13.

95. Si igitur scribendo semel forte lapsi essent, consequens esset. non in omnem veritatem ipsos fuisse introductos, & si unico in loco falsitas depræhenderetur aut men-

mendacium, totius Scripturæ certitudo haud injuriâ foret suspecta.

96. Cæterum, quinam libri Canonici, qui verò Apocryphi sint, ulterius erit dispiciendum. *Hieronymus* in Prologo Galeato, & in Epistola ad Paulinum Presbyterum hoc ordine (quem pleriq; etiam nostratum Theologorum sequuntur) recenset. Libri Canonici sunt, i. Quinq; libri Mosis, Genesim, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Deinde sequitur, liber Iosuæ, Judicium, Ruth, Samuelis I. & II. Regum I. & II. Paralipomenon I. & II. Esdræ unus, Nehemiæ unus, Esther unus, Job unus, Psalterium, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Cantorum.

97. Deniq; quatuor Prophetæ majores, Esaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel. Et XII. Minores, Oseas, Joël, Amos, Obadias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Zephonias, Haggæus, Zacharias, Malachias.

98. Reliqui omnes, licet libris Canonicis in corpore Biblico sint additi, sunt tamen *ἀκανόνες* extra Canonem, utpote Judith, Liber Sapientiæ, Tobias, Syraces, Baruch, duo libri Maccabæorum, fragmenta Historiæ Esther de Hamano & Mardochæo, Additamenta Danielis, V.G. Precatio Assariæ, Hymnus trium juvenum in fornace, Historia de Susanna, narratio de Belo, & Dracone Babylonico, & de Habacuc, item Supplicatio Manassis.

99. *Hos libros V.T. non esse Canonicos, & ejusdem autoritatis cum illis, quos thesis præcedens 96. & 97. enumerat, his argumentis facili negotio demonstrari possunt.*

100. Quicunq; libri V.T. non sunt Prophetici, adeoq; divinitus inspirati, illi verè non sunt Canonici.

Prædicti libri thesi 98. enumerati non sunt Prophetici. Ergò. *Major* probatur, quia Ecclesia fundata & ædificata est super fundamentum Prophetarum & Apostolorum. *Luc.* 16. v. 29. c. 24, v. 25. & 27. *Act.* 26. v. 22. & notum est illud Pauli, quod tota Scriptura sit divinitus inspirata z. *Tim.* 3. v. 16. z. *Petr.* 1. v. 21. *Minor* probari potest sequentibus rationibus prosyllogisticis.

101. I. Arg. Quicunq; libri ab indole & tenore Spiritus Prophetici plurimum abhorrent, illi non possunt esse Prophetici, adeoq; Canonici.

At libri prædicti tales sunt. Ergò.

Minorem iterum probamus

I. *Quia quidam eorum repugnant libris exploratò & sine controvergia Canonicis,* quale est illud in libro *Tobiæ* cap. 5. v. 5. ubi Angelo bono inscribitur mendacium, quod dixerit, se esse Azarium filium Ananiae. Tale verò mendacium nusquam in libris Canonicis D E o ejusq; sanctis Angelis ascribitur. Cap. 6. v. 9. cordi & epati piscis magica vis tribuitur abigendi Spiritum malum, qui ad odorem accensi epatis fugiens in partes superiores Ægypti ab Angelo fuerit ligatus. Cap. 12. v. 15. dicitur Angelus iste unus è septem illis Angelis, qui referant preces sanctorum apud D E u M. *Quo certè, nesciò an quid blasphemius in D E u M contra Scripturæ Canonem fingi possit,*

102. Sic *Ecclesiasticum* non esse verè Canonicum Scriptorem, ex eodem potest probari principio. Nam cap. 46. v. ult. inter elogia Samuelis refertur, quod post obitum suum prophetârit. secus verò legitur i. Sam. 28. v. 6, & i. Paral. 10. v. 13. Sic eodem loco Pythonissæ tribuitur, quod Samuelem mortuum in vitam revocâ-

rit, qui è terrā vocem suam extollens Sauli obitum prænunciaverit. Sic cap. 48.
v. 10. Vaticiniū de Antambulone & præcursorē Messiæ ad Eliam Thesbyten refert,
quo Johannem Baptistam designatum fuisse C H R I S T U S ipse confirmat. Math. II.
v. 10. & Angelus Luc. I. v. 17.

103. Sic libri duo *Maccabæorum* similiter non possunt esse Canonicī, à S. S. pro-
fecti, siquidem 2. *Maccab.* 14. v. 37. 41. 42. albo signatur calculo factum Raziæ,
qui sibi ipsi violentas manus intulerat, cum tamen in libris Canonicis omne homi-
cidiū adeoq; ἀνθραγία gravissimè prohibeatur.

104. Liber *Judith* quoq; nonnulla habet cum historia Mosis pugnantia. Nam
in oratione sua Judith in laudibus Patris sui Simeonis reponit, quod contra fidem
datam Sichemitas trucidasset, dicens: D E U M dedisse illi gladium, ad ulciscen-
dam sororem Dinam vitiatam à Sichem Gen. 34. Secus autem de facto hoc judi-
cat Jacobus Patriarcha Gen. 49. v. 5. 6. inquiens: Pro irâ occiderunt viros &c.
Maledicta ira eorum &c.

105. De libro *Baruch*, *supplemento Danielis* & *fragmento Estheræ* simile potest
fieri judicium. In libro enim *Baruch* cap. I. v. 1. & 2. *Baruch* legitur in Babylonia
fuisse, quo tempore Hierosolyma à Chaldæis fuit expugnata, & devastata, cum in
diversum Jerem. 43. v. 6. 7. *Jeremias* & *Baruch* captā & direptā urbe in *Ægyptum*
concessisse memorentur.

106. Sic in *Historia Susanna* vers. 45. Daniel appellatur puer junior, quem
Ezechiel cap. 14. v. 14. ceu virum filiorum filiarumq; parentem describit, in Pro-
phetia, quam exorsus est anno quinto transmigrationis Jojakim, sub quo Daniel
Babylonem captivus ingressus est, ut Dan. I. habetur.

107. Sic in *posterioribus capitibus Estheræ* cap. II. v. 2. Insidiæ Ahasvero Regi
per Eunuchos strudæ, per Mardochæum detectæ leguntur, anno Ahasveri secundo
quod septimo anno factum esse refert *Canonicus Esther*, cap. 2. v. 16. & quod Rex
torvo vultu aspexisse Reginam dicitur cap. 14. v. 10. id in *Canonicis* cap. 5. v. 2. be-
nignis oculis factum fuisse legimus.

108- 2. Quidam horum librorum in *Chronologiam* & *Veritatem historicam im-
pingunt*, utpote, quod Tobias senior jam morti vicinus prædicit, propediem fore,
ut Israelitæ restituantur, cui prædictioni tamen eventus non respondit.

109. 3. Quidam eorum sibi ipsi contradicunt, ut quod Tob. 3. v. 7. Sara filia
Raguelis in Rages Medorum civitate fuisse narratur, & tamē cap. 9. v. 8. & c. 10. v. 11.
Tobias Junior dicitur per Angelum ex ædibus Raguelis non in Rages sed alibi sitis
educitus. Ex quibus omnibus promptum est colligere, libros modò commemo-
ratos ab indole Spiritus Prophetici haud parùm recedere, ac proindè pro Prophetis
& *Canonicis* haberi non posse.

110. II. Arg. Quicunq; libri V.T. demum post tempora Prophetarum in
lucem sunt editi, illi autoritate prophetica & *Canonicā* non potuerunt potiri, ut
Prophetici dicantur.

Omnis isti libri thesi 98. numerati demum post tempora Prophetarum in lucem
sunt editi. Ergò

Major probatur. Nam libri V.T. quotquot allegantur à C H R I S T O & Apo-
stolis in N. sub Mosis, Davidis & aliorum Prophetarum nomine allegantur Luc. 24.
v. 27. cap. 16. v. 29. Act. 24. v. 14. cap. 26. v. 22. Rom. I. v. 2. Ebr. I. v. 1. Ex qui-
bus dictis patet, omnes verè *Canonicos* libros V.T. scriptos vel dictatos esse à Pro-
phetis.

Minor

Minor. Quia utrinq; in confessio est quod post Artaxerxes non fuerit amplius Prophetarum accurata successio, & notum est, quod post restorationem Templi secundi Hierosolymitanorum, praeter Haggaeum & Malachiam nullus Prophetarum extiterit, imo ad Johannem Bapt. usq; seculis intercedentibus omnis Prophetia deficerit. Quod ipsum Malachias ipse confirmat, in fine sui vaticinii scribens: Usq; ad Eliam, Messiae antambulonem, id est, Johannem Baptistam non esse expectandam ullam Prophetiam.

III. III. Arg. Quicunq; libri carent Propheticis oraculis, & Vaticiniis de CHRISTO, mundi venturo Messia & Salvatore, illi non sunt Prophetici, adeoq; Canonici.

Atqui libri citati thesi 98. tales sunt, nullibi enim extat ullum vaticinium in iis de CHRISTO. Ergo

Major probatur ab Exemplo reliquarum Prophetiarum V.T. Nam quicunq; liber in eo Spiritu Prophetico conscriptus, adeoq; propriè Canonicus est, ille liber Prophetico testimonio CHRISTUM in N.T. in carne exhibendum docet & præsignificat, juxta illud Luc. 24. v. 27. Act. 3. v. 21. 24 Act. 10 v. 43.

112. IV. Arg. Quicunq; libri nec sermone Prophetico sive hebræo loquuntur, neq; ab Hebræorum in V.T. Ecclesia in Canonem unquam fuerunt recepti, illi non sunt Prophetici, & per consequens etiam non Canonici.

Prædicti libri tales sunt quod utrinq; est in confessio. Ergo.

Major probatur ex dicto Rom. 3. v. 2. ubi Judæis sive Hebræis concredita dicuntur eloquia DEI. Jam verò Hebræi nuspam leguntur reprehensi à CHRISTO, ob rejectionē aliquorū librorum, sicuti passim reprehenduntur ob falsam interpretationē, consequens ergo est jure divino hos rejectos libros nunquā in Canone fuisse.

113. Istos verò libros V.T. quos thesis nostra 96. & 97. recenset, verè esse Canonicos, probamus hisce argumentis.

114. I. Quicunq; libri V.T. ex immediatâ inspiratione Spiritus S. à Prophetis ipsis sunt conscripti, illi ad Canonem V.T. optimè possunt referri.

Atqui libri isti omnes thesi 96. & 97. enumerati sunt ex immediatâ Spiritus S. inspiratione à Prophetis conscripti, teste Petro, 2. Cap. 1. v. II. Ergo.

115. II. Quicunq; libri V.T. à CHRISTO & Apostolis in N.T. ut authentici citantur & approbantur, illi pertinent ad V.T. Canonem.

Sed libri prædicti à CHRISTO & Apostolis allegantur, tum in genere Act. 10. v. 43. Joh 5. v. 39. Luc. 24. v. 44. tum in specie, quod alibi à D. Hunnio, lib. de Verbo DEI scripto advers. Bellarm. in exam. cap. 4. p. 28. & seqq. Vigando in Syn>tagmate pag. 86. & seqq. & aliis ostenditur. Ergo.

116. III. Quicunq; libri sibiipso non repugnant, neq; in veritatem historicam impingunt, illi sunt Canonici.

Tales sunt libri isti omnes. Ergo.

117. IV. Quicunq; libri Ecclesiæ veteris Judaicæ & Christianæ primitivæ testimonio in Canonem sunt recepti, illi sunt Canonici.

Sed tales sunt illi omnes. Ergo.

Atq; hæc de libris Canonicis & Apocryphis V. T. dicta sufficient.

118. Utrum verò etiam inter N.T. libros tale discrimen statuendum sit, ut quidam eorum dicantur Canonici, quidam Apocryphi, ejus rei videtur nostro hoc tempore sententiarum diversitas quedam esse inter Theologos, quæ tamen facili negotio

poteſt conciliari, ſi modò reſ ipsa perpendatur accuratius. Nam ſi Canonicum di-
catur id, quod ad probanda fidei dogmata, tanquam ab Apoſtolis profectum adhi-
beri poteſt, eo ſenſu omnes libri N. T. ſunt Canonici. Si verò dicatur Canonicum
id, de cuius ſcriptore & autore nunquam fuit dubitatum, hoc ſenſu à reliquo N. T.
libris diſtinguuntur, posterior Petri, Johannis II. & III. Epiftola Jacobi, & Judæ,
quibus aliqui etiam Epiftolam ad Hebræos & Apocalypſin Johannis adjiciunt.

119. Veſtum Epiftolam ad Hebræos quod attinet, licet vulgo inter Apocrypha
numerari ſoleat, eò quod Eusebius & alii commemoſent, antiquitùs illi contradic-
tum, & Canonicam autoritatem denegatam fuſſe propterea, quod non ſit Apoſto-
li Pauli, idq; vel ideò, quod 1. Epigrapha deſit, nec non uſitata Pauli in reliquo E-
piftolis ſalutatio. 2. Quòd cap. 2. v. 3. autor de ſe loquatur, tanquam diſcipulo A-
poſtolorum, Paulus verò alibi ſe Apoſtolorum diſcipulum eſſe diſertè neget. 3. Quòd
duriora quædam loca occurrere videantur cap. 6. 10. 12. quaſi peccatoribus omnis
venia denegetur. 4. Quòd cap. 9. v. 1. dicat, ſe non jacere fundamentum doctri-
næ, quod tamen Paulus aliás & omnes Apoſtoli faciant. 5. Quòd eodem cap. 9. v. 4.
videatur repugnare libro Canonico V. T. Nam ubi 1. Reg. 8. v. 9. dicitur, in arcâ
non fuſſe aliud, niſi duas tabulas lapideas, quas posuerat Moſes in Horeb: Autor
Epiftolæ ad Hebræos aſſerit, quod præter tabulas lapideas in ea fuerit urna aurea,
habens Manna, & virga illa Aaronis, quæ germinavit. 6. Quòd ſtyli diſverſitas vi-
deatur contrarium docere.

120. Diftingui tamen h. l. meritò poteſt inter αὐλεξίῳ five contradictionem
totius Ecclesiæ publicam, & inter αὐλεξίῳ ἡγῶν aliquorum, qui privatâ autorita-
tate contrarium ſentire, & prætantissimo huic ſcripto detrahere conati funt. Ideò
rationibus & argumentis hiſce multi celeberrimi Theologi alias opponunt ratio-
nes, quæ omnino ſuadere videntur, hanc Epiftolam pro Paulinâ & verè Canonicâ
eſſe habendam.

121. I. Ex infallibili testimonio vetuſtissimorum ſcriptorum, & Doctorum Eccle-
ſiæ, puta, Irenæi, Clementis Romani, quem Eusebius lib. 3. cap. 34. adducit, & cre-
ditur Pauli Apoſtoli fuſſe comes & diſcipulus. Originis, Nazianzeni, Athanafii,
Epiphanii, Hilarii, Ambrosii &c.

122. II. Argumenti ſublimitate, quod nullus ex omnibus Apoſtolorum diſcipu-
lis tam graves & illuſtres doctrinas, de Divinitate, deq; Sacerdotali officio CHRISTI,
ejuſq; ſacrificio propitiatorio, de abrogatione V. T. & ſimilibus, adeò exactè & di-
vinè tractārit.

123. III. Quòd nullum ullius Apoſtoli testimonium alleget, ſed ſibi ut ἀνωπίσω
fide dignissimo & Apoſtolicâ autoritate præpollenti credi velit.

124. IV. Quia Clemens post Petrum & Paulum tertius Romanæ Ecclesiæ Epifo-
cus illam pro Pauli Epiftolâ habuit, id quod procul dubio Johannes Evangelista &
multi alii, quibus de germanis Pauli Epiftolis probè conſtitit, non paſſi fuiffent, ſub
Pauli nomine Ecclesiæ venditari, niſi fuiffet.

125. V. Quia orthodoxi Patres tūm Græci tūm Latini, in grabiſſimis & acerrimiſ
diſputationibus contra Arrianos & alios Hereticos hujus Epiftolæ testimonioſ frequen-
tissime ſint uſi, quod facere non potuiffent certè, niſi pro Canonicâ fuiffent habita.

126. VI. Quia Autor Epiftolæ ſecundæ, quæ Petro inſcribitur cap. 3. v. 15. ad He-
bræos & ipſe ſcribens, expreſſe hujus Epiftolæ mentionem facit, dicens: Sicut & ca-
rissimus noster frater Paulus vobis ſcripſit &c.

127.

127. VII. Quia cap. 10. suorum vinculorum mentionem faciat. Et cap. 13. commendat celebrem quendam discipulum Timotheum, quem fratrem suum vocat, ibidemq; ex Italia se scribere afferit, quæ omnia D. Paulo competere tam certum est, quam certissimum.

128. Apocalypsin verò Johannis quod attinet, is quoq; liber vulgo Apocryphis accensetur, sed præter imò contra omnem rationem. Quod enim Johannis sit, ad eoq; pro Canonico libro meritò haberi debeat, ex sequentibus constare videtur argumentis.

129. I. Quia in eo futurus Ecclesiæ novissimi temporis status sub utroq; AntiChristo prænunciatus extat, & veritatem vaticiniorum plerorumq; maximâ ex parte eventus comprobavit.

130. II. Quia ostendit, Ecclesiæ N. T. conditionem non fore deteriorem quam V. T. utpote, quæ non omni oraculorum divinorum autoritate sit destituta.

131. III. Quia multa in eo utiliter explicantur, de utroq; AntiChristo, de Gog & Magog, quæ alias in Daniele & Ezechiele prorsus obscura manerent, nisi in Apocalypsi explicata, & ad postrema tempora relata essent.

132. IV. Quia inscriptio libri, circumstantia loci, quo edita est Apocalypsis à Johanne, & peculiaris Johannis Character idem evincit, ut haud amplius de Autore dubitare fas sit. Atq; hæc de Canone.

C A P U T T E R T I U M.

De perspicuitate Scripturae.

An Scriptura sacra ita sit perspicua, ut ab omnibus intelligi possit?

133. In hac quæstione pertractanda, nihil aliud desideramus in adversariis nostris, præterquam quod malitiosè & datâ quasi operâ statum controversiæ, qui nostros hodiè Ecclesiis cum gente Jesuiticâ intercedit, minus rectè constituant.

134. Non enim illud disceptatur, (quod fortè initio aliquis autumnari posset) an sacra Scriptura adeò aperta & perspicua sit, ut nullâ prorsus explicatione ad terminandas fidei controversias opus habeat? illud enim ultrò facile largimur.

135. Neḡ illud queritur, an omnia promiscue in sacro codice perspicua & expedita sint adeò, ut nihil uspiam sit obscurum, nihil uspiam δυστονή? Multa enim Scripturæ loca satis obscura, & intellectu difficultia esse, ultrò cum B. LUTHERO in præfato Commentarii super Psalmos, & libro de servo arbitrio contra Erasmum, libenter concedimus.

136. Quemadmodum etiam neq; illud controvertitur, an sacra Scriptura ita sit facilis & perspicua, ut à quibusvis etiam illis, qui à Spiritu S. non sunt illuminati, intelligi possit? Hujus enim quæstionis negativam ipsi tenemus.

137. Sed verus & legitimus controversiæ status in eo positus est, an sacra Scriptura, ubi agit de negotio fidei & salutis nostræ, ita sit facilis & perspicua, ut ab iis, qui primitias Spiritu S. acceperunt, & per fidem CHRISTI illuminati sunt, intelligi possit? An vero per se usq; adeò obscura, ut ab his etiam intelligi non possit, nisi sequantur dum & sententiam Pontificis Romani, cum suo Clero? Cujus sane quæstionis posteriorius nos simpliciter negamus, pro affirmativa prioris membra pugnantes hisce fundamentis.

138. I. Quodcunq; verbum non est occultum neq; longinquum, sed propinquum fidelibus, illuminans oculos mentis nostræ, id profectò in se & per se obscurum esse non potest.

Atqui verbum Scripturæ, tūm Legis Deut. 30. v. 11, tūm Evangelii Rom. 10. v. 8. est tale verbum, neq; occultum, neq; longinquum, sed maximè propinquum fidelibus, divino modo illuminans oculos mentis nostræ Psal. 19. v. 9. Psal. 119. v. 130. Prov. 6. v. 23.

Ergò verbum Scripturæ in se & per se obscurum non erit.

139. II. Si Scriptura sacra est lucerna, splendens in loco caliginoso, estq; lux itineri nostro, quo tanquam viatores in cœlestem patriam contendimus, etiam ad hoc erit clara, luculenta & perspicua, ut ad æternæ salutis portum ductum nobis præbeat inoffensum.

At prius verum est teste Petrø 2. Cap. 1. v. 19. & Psal. 119. v. 31. 105. 130. Quidni ergò & posterius.

140. Et sanè, si Prophetica V.T. Scriptura, de quâ Petrus loquitur, usq; adeò illustris & perspicua est, quantò clarior & illustrior erit sermo N.T. Apostolicus, cum V.T. Scriptura respectu Novi, teste Johanne in Apocalypsi cap. 5. v. 1. 2. sit instar libri clausi ac obsignati.

141. Valeant ergò Romanenses, perspicuitatem Scripturæ non sine insigni adversus ipsum Spiritum S. Scripturæ autorem blasphemia purè negantes. Si enim Scriptura tam difficilis & obscura est ad intelligendum, ut ipsi quidem clamitant, factum erit id ideò, quia ipse Spiritus S. apertius scribere vel noluit vel non potuit. Non potuisse autem, quis dicet? Noluisse cum fine Scripturæ pugnat, siquidem omnia, quæcunq; scripta sunt Rom. 15. v. 4. ad nostram doctrinam scripta sunt, & ut credentes vitam æternam in ea consequamur Joh. 20. v. 31.

142. Porrò, cum non sine rationibus sibi pugnare videantur Jesuitæ, videamus h. 1. etiam paucis, præcipua fundamenta, quib. freti Scripturam obscuritatis insimulant. Inter ea primum ac præcipuum locum obtinet, Locus ille Petrinus, 2. cap. 3. v. 16. ubi asseritur, in Epistolis Pauli quædam esse δύσνοητα intellectu difficultia, quæ indoctos & instabiles depravent.

143. Verum præterquam quod plus hic sit in conclusione, quam fuit in præmissis, non enim sequitur, quædam in sacris sunt obscura, quod concedimus. Ergò tota sacra Scriptura est obscura, quod negamus. R. Sophisma committi à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non enim Petrus absolutè loquitur, sed difficultatem illam intelligendi manifestè restringit, ostendens, propterea quædam esse difficultia, quia ab indoctis & instabilibus detorqueantur, verbis istis innuens, illa per se difficultia non esse, sed ex depravatione demum talia evadere

144. Alterum, quo perspicuitatem Scripturæ negant, illud est, quod obstant, si de omnibus articulis fidei clara & perspicua in Scripturis, extarent testimonia, tunc omnes controversiae Religionis jam essent finitæ. At posterius hoc falsum est, Ergò & prius.

145. Sed R. Facilem esse solutionem hujus argumenti, si modò attendatur δύσνοητα in voce(finitæ.) Etenim si finitum id dicatur, quod est definitum & decissum, explicatumq; sive agnoscatur pro tali, sive non, certè hoc modo omnes controversiae sacris in literis olim sunt finitæ: sin autem finitum dicatur id, quod plane

planè sublatum est, adeò ut amplius non extet, tunc nulla militat consequentia ratiō, ideò Scripturas esse obscuras, quia non omnes controversiae sint sublatæ. Ea enim est tūm Diaboli perversitas, tum ingeniorum petulantium ferocia & arrogantia, ut interdum ne clarissimis quidem Scriptuæ verbis ac testimoniis sibi satisfieri patientur. Causa igitur, cur hodieq; controversiae sint & maneant, de præcipuis articulis fidei, non est, qnod Scriptura eas non jam dudum dijudicārit: sed quod homines præfracti testimonia Scripturæ, quamvis perspicua, intelligere vel nolint, vel non possint, propterea, quod justo D E I judicio in sensum reprobum traditi sint Satanæ, ad excœcandum oculos ipsorum. Et tantum etiam de perspicuitate Scripturæ sufficiat.

C A P U T Q U A R T U M.

De Scripturæ interpretatione, & summo controveriarum judice.

*An Scriptura Sacra sit judex & interpres controversiarum infallibilis,
an vero Pontifex Romanus, sive concilia?*

146. Cardo totius controversiae, quo ad hoc quidem *Σήτημα*, potissimum in eo vertitur, *cujusnam sit interpretari Scripturas & sensum earundem verum & genuinum ostendere deg, controversis Religionis legitimum ferre judicium* Ubi quidem Pontificii communiter statuunt, sic docente Bellarmino lib. 3. de verbo D E I cap. 3. *Spiritum interpretationis inveniri in Ecclesia*, id est, *Concilio Episcoporum, confirmato à summo Ecclesie totius Pastore*. Verbis istis innuens, non aliter interpretandam esse Scripturam, quām sicut Concilia interpretentur, nec quidem omnia: sed ea tantum, quāe à Pontifice Romano sint confirmata.

147. Quam assertionem nos, ut impiam rejicimus simpliciter, *afferentes è contrario*, quod Scripturarum interpretatio à Pontifice Romano ejusq; concilio, necessariò non sit petenda: sed potius, *quod Scriptura sibi ipsi ad sui interpretationem sufficiat*, si modò Scriptura per Scripturam secundum analogiam fidei explicetur.

148. Ita quidem, ut 1. in cuiuslibet loci interpretatione diligenter admodum perspiciatur, quem finem ac scopum sibi quisq; locus habeat propositus. 2. Verba cuiuslibet loci secundum propriam significationem accurate expendantur, ex iisq; literalis ac nativa eruatur sententia. 3. Si aliquis obscurior occurrat, interpretatio ex alio cognato & manifestiore petatur. & 4. Si locus aliquis fortè pugnare videatur cum analogia fidei, consulantur illa Scripturarum loca, in quibus sedes cuiuslibet quæstionis aut materiae ex professo continet & explicatur.

149. Unde alterum quoq; quæstionis propositæ caput nullo negotio decidi potest, *Cujusnam sit judicium ferre de controversis Religionis*, quāe vel unquam subortæ sunt, jam suboriuntur aut suboriri poterunt? *An Pontifici Romano, ejus Ecclesia & conciliis hoc jus competat*? Ubi iterum Jesuitæ καὶ Φατινῶς hoc *Σήτημα* amplexantur, nos autem ἀποΦατινῶς idem acceptantes, firmis rationibus demonstrare possumus, Pontifici Romano ejusq; Ecclesiæ tale jus summum tribui nequam posse: sed soli competere Spiritui sancto, quatenus in & per Scripturam loquitur.

150. καὶ ασκοῦσθε nostræ argumenta bene multa possent produci, sufficiat vero interim

Interim h. l. unicum, quo absoluto audiemus, quid in contrarium ab adversariis nostris disceptetur.

151. Argumentum ergò tale est: *Cui soli competit omnes notæ, & omnia requisita, quæ à supremo & infallibili judice exiguntur, illi etiam soli jus atq; elogium summi judicis competit.*

Sed soli Spiritui Sancto in & per Scripturas loquenti, non verò Pontifici Romano competit istæ notæ & requisita.

Ergò solus Spiritus sanctus in & per Scripturas loquens, non verò Pontifex Romanus est supremus controversiarum judex.

152. Major cum sit extra controversiam, minorem probamus ἐπανίτιως, sufficieni enumeratione ejusmodi requisitorum, quorum 1. est, ut errare in judicando non possit. 2. ut ab ipsius sententia nemini provocare liceat. 3. ut non ipse sit pars litigantium sive controversiae subortæ. 4. ut ab omni πειρωσσοληψίᾳ crimen sit alienissimum, & nullo partium studio ducatur. 5. ut habeat vim coactivam, & sua autoritate possit compellere partes ad jus aut fas, ut suæ stent decisioni.

153. Jam verò non Pontifici Romano: sed soli Spiritui S. hæc requisita competunt.

I. *Solus enim Spiritus sanctus est Spiritus veritatis, neq; potest errare: Pontifex verò Romanus cum suis Conciliis, non tantum potest errare, sed erravit etiam pernitiöfissimè, ut testantur exempla, teste enim Platinā, Papa Anastasius fuit Nestorianus, Papa Achatius propter aliam hæresin à Gelasio fuit excommunicatus, ut testatur Jus Canonic. c. 24. q. 1. §. Achatius. Papa Liberius fuit Arrianus &c.*

154. II. *Spiritus sancti voce unicè est standum, neq; ab ipso ad superiorem, cum nullus sit, provocare licet. Unde etiam ex praxi Ecclesiastica constat, quod antea actis temporibus omnes hæreses, non nisi voce & autoritate Spiritus sancti per Scripturas loquentis fuerint oppressæ, sicuti testatur hæresis Ebionitarum, Christi Divinitatem negantium, quæ hæresis vel solo Johannis Evangelio sufficientissimè fuit refutata. A Pontifice verè Romano, non tantum omni jure provocare licet ad alium judicem tanquam ab homine ad Deum ipsum in Scripturis loquentem, sed etiam sæpiissimè provocatum fuit, & quidem permisso totius Ecclesiæ, sicut Donatistæ olim noluerunt Pontificem admittere judicem, in dijudicandâ controversiâ, an baptisatus sit rebaptisandus?*

155. III. *Spiritus sanctus non est pars controversiae, sed extra item: Pontifex verò Romanus est ille ipse, quem falsorum dogmatum reum peragunt orthodoxi. Ergò in propriâ causâ illi judicium, nullo, neq; civili, neq; naturali, jure, permititur.*

156. IV. *Spiritus sanctus ab omni πειρωσσοληψίᾳ alienissimus nullo partium studio dicitur: Pontifex verò Romanus, quia favet Jesuitis, veluti Regni sui columnis. Ergò ad ferendum judicium inter nos & ipsos admitti nec potest nec debet*

157. V. *Spiritus sanctus habet vim coactivam. Solus enim est animorum atq; voluntatum humanarum moderator, Deut. 29. v. 8. Jer. 31. v. 33. Act. 16. v. 14. quæ coactio interna ipsarum animarum impulsu constat. Pontifex verò Rom. talem vim non habet, nisi forte per vim coactivam intelligas, insignem illam & externam tyrannidem, qua ferro & igni sævit in eos, qui Thaidis Romanæ dogmata exosculari detrectant.*

158.

158. Ne verò adversariis cavillandi occasio præbeatur, ut insurgant, & nescio cujas *αἰσχύλογιστές* nos insimulare possint, propterea, quod probemus id, quod ex ipsorum etiam parte sit extra omnem controversiam. Non enim dubitari, *Spiritum S. esse summum judicem*: sed illud controverti, *quoniam habeat illum Spiritum S.* Et per quem loquatur, an per Scripturam, an Gerò per Pontificem, sive solus sit, sive cum Concilio, (ubi posteriore negato priùs affirmamus) observanda erit h. l. ad evitandam omnem homonymian, distinctio vocis (*judicis*) cum ea in hāc disputatione triplicem significationem & respectum obtineat, & modò in primariā, modo in secundariā, modo etiam in tertia significatione (quæ tamen omnes ad unum principale tandem referuntur,) usurpetur.

159. In *supradicta* Et principalissima significatione tribuitur Spiritui sancto, qui solus est infallibilis judex controversiarum, ejus enim instinctu & afflatu locuti sunt sancti DEI homines, quicquid locuti sunt aut scripsierunt, 2. Petr. I. v. 21,

160. Quia verò Spiritus sanctus sententiam suam non nisi *ἐμμέσως* pronunciat, in verbo scil. scripto, eatenus in secundariā significatione hoc judicium tribuitur sacræ Scripturæ, haud aliter, ac Legibus seu tabulis publicis in Repub. competit judicis autoritas, juxta Joh. 12, v. 48. Sermo, quem locutus sum, ille judicabit vos in novissimo die.

161. Et cum Scriptura in semetipsa explicanda utatur ministerio Ecclesiæ seu fidelium, hinc fit, ut Ecclesiæ quoq; judicium, sed non nisi *ministeriale* in controversiis Religionis competat.

162. Quo discrimine observato ultrò concidit omne id, quod in hoc negotio ab adversariis nostris disceptatur.

163. Ceterum, cum non sine fundamentis nostra sententia orthodoxæ contradicere sibi videantur adversarii, videamus etiam rationes ipsorum præcipuas, partim ex sacris, partim ex ratione petitas, quibus suæ opinioni fidem, sed frustra facere conantur.

164. Primum fundamentum desumunt ab exemplo Mosis ex 18. cap. Exodi, v. 13. & 26. quem tanquam principem Et caput Ecclesiæ Judaicæ ad omnia dubia circa Legem DEI exortare respondisse contendunt, neq; homines remisisse ad Spiritum aliquem relevantem. Quod si ergò Moses tanquam caput sibi reservabat dubia circa Religionem, utique Et hodiè visibilem judicem esse debere existimant, à quo omnes omnium controversiarum decisionem petere, inq; ejus responso simpliciter acquiescere oporteat.

165. Verum multiplicem esse falsitatem in hāc collectione, nemini obscurum esse potest, si modò attendatur dissimilitudo in exemplis. Moses enim non tantum fuit judex, sed & Propheta extraordinariè à DEO vocatus, & populo commendatus ejusmodi testimonii, ut cuivis constaret, ipsum in judicando errare non posse. Tale testimonium Papæ Romano à DEO perhibitum esse, nuspia legitur.

166. Deindè nec illud dicto loco de Mose reperitur, quod posthabitâ Scripturæ autoritate suam sententiam pronunciaverit pro libitu: sed hoc potius ubiq; legitur, quod pronunciaverit id, quod DOMINUS ei revelaverit.

167. Tandem etiam falsum est, quod Moses fuerit summus Sacerdos, ad quem unicè ejusmodi controversiarum decisionem pertinere volunt Jesuitæ: Sed fuit summus judex politicus. Licet enim aliquandiu Sacerdos extiterit, donec Aarōnem fratrem inungeret: postea tamen Sacerdotio eum ulterius functum esse, nuspia legitur.

168. Alterum, quod Jesuitæ obtendunt, petitum est ex Cap. 17. Deuter. v. 8. & seqq. ubi Israelites jubentur in questionibus dubiis venire ad Sacerdotem generis Lebitici, & adjudicem, qui fuerit illo tempore, ut ex hic querant veritatem.

169. Sed. R. i. Ab unâ gente ad totam Ecclesiam catholicam argumentari, non valet consequentia. 2. Locus iste non loquitur tantum de uno judice visibili: sed de pluribus, quod evidenter textus manifeste ostendit, & quidem de talibus judicibus, quos non ex proprio cerebro, vel etiam ex traditione Ecclesie: sed ex praescripto Legis judicare oportebat. Et ita etiam minimè inficiamur, in singulis Ecclesiis aliquos esse oportere, qui de controversiis judicent, Imò 3. posito, unicum tantum fuisse summum ejusmodi Pontificem; alia tamen erit ratio V. alia N. T. In V. T. Pontifex ille Leviticus typum gerere debuit summi & unici Pontificis CHRISTI. Jam vero Christo exhibito, & presentissime Ecclesiam suam gubernante, non opus habet novo aliquo typico & vicario pontifice, cuius sententiam in controversiis sequi necessum sit.

170. Tertium quo errori suo patrocinium querunt, desuntum est, ab affectione Scriptura externa. Scriptura sacra, inquiunt, recipit varios sensus, neq; ipsa potest dicere, quis verus & genuinus sit. Ergo Scriptura non potest esse judex in controversiis religionis.

171. R. Per inficiationem antecedentis. Falsum enim est simpliciter, quod Scriptura per se varios sensus recipiat. Falsum quoq; & illud est, Scripturam non posse dicere, quis sit verus & genuinus sensus, contrarium enim legitur Joh. 7. v. 42. Ubi dicitur: Nonne Scriptura dicit. Et Rom. 4. v. 3. Quid dicit Scriptura? Quamvis enim Scriptura articulatam vocem minimè emittat: attamen quemadmodum ex amici alicujus literis mentem ejus & sententiam facile possumus percipere, ita quoq; Scriptura sacra est Epistola DE I, in qua nobis suam mentem & voluntatem perspicue proposuit.

172. Quartum, quod pro palliando errore suo proferunt adversarij, illud est: In omni, inquiunt, Repub. bene constituta, Lex & Judex sunt res distinctæ. Lex enim docet quid agendum, Judex vero interpretatur & secundum eam homines dirigit. Ergo pars debet esse ratio in Ecclesia.

173. At R. per inficiationem, simpliciter negando, unam eandemq; plane esse rationem legum judicumq; forensium & scripturarum, ejusq; interpretis. Judex enim forensis, pro varietate circumstantiarum, potest aliquid mutare in suo decreto, imò de summo jure aliquid remittere, si modò probabilis sit ratio sive causa. De Scriptura vero, ne tantillum quidem immutare licet Deut. 17. v. 11. Apoc. 22. v. 18.

174. Deinde posito hoc unam & eandem esse utrobiq; rationem: attamen, quando de sententiâ Legis est quæstio, constat ne forensi quidem judici licere interpretari Legem contra seipsum: Sed Legis sententiam ex ipsis ejus verbis declarare, quo respectu judex ipse est sub Lege, quippe qui Legis (quæ judicis vices sustinet) mentem tantum. Eadem ratione aperit; & Scriptura, si Lex est, vi hujus similitudinis erit judex, & proinde Pontifex Romanus consentanea huic Legi pronunciare, seq; ipsum ei subjecere, vel maximè obstrictus tenetur.

CAPUT QVINTUM
De perfectione & sufficientia Scripturæ in dogmatibus fidei Christianæ.

An sacra Scriptura si perfecta, omnibusq; numeris ita aboluta, ut contineat omnia, quæ ad salutem, fidem & mores piæ vivendi pertinent?

175. Questionem hanc affirmamus contra Jesuitas, quorum sententia nimis clare proposita est à Jesuitis in Colloq. nupero Ratisb. sess. 4. Fidemq; prorsus indubiam assertioni huic facere possumus, tūm innumerabilib[us] penè scripturarum testimonis, qualia sunt: Joh. 5. v. 39. Joh. 20. v. 31. Rom. 15. v. 4. i. Joh. 1. v. 4. & 5. Gal. 1. v. 8. &c passim alibi, tūm aliis fundamentis, utpote.

176. 1. Ab expresso Scripturæ epitheto, quod dicatur Lex DOMINI perfecta Psal. 19. v. 8. 2. An natura Testamenti, siquidem omne Testamentum recte factum & comprobatum, perfectam testatoris complectitur voluntatem, sic ut nemini licet, emendationes Gal. 3. v. 15. Scriptura verò inscribitur Testamentum, testatoris scil. omnisci. 3. Quod Scripturæ nihil addi vel detrahi debeat Deut. 4. v. 2. Apoc. 22. v. 9. etiam ne quidam ab Angelo Gal. 1. v. 8. 9. 4. Quod ex eâ fidem & CHRISTI agnitionem habere possimus, quæ ad obtainendam salutem æternam sufficiat Joh. 20. v. 31. 5. A testimonio Evangelistarum & Apostolorum expresso, quo testantur, se omnia scripsisse ad salutem necessaria Act. 1. v. 1. cap. 20. v. 27. c. 26. v. 22. Rom. 1. v. 16. Gal. 1. v. 8. verum unicus ille locus Apostolicus, qui exstat 2. Tim. 3. v. 14. 15. 16. 17. potest esse instar omnium.

177. Quod sanè testimonium Apostolicum cum brevi quasi compendio omnia ea comprehendat, quæ de Scripturæ perfectione dici possint ac debeant, non dubitavit insignis ille Theologus D. Salomon Gesnerus, illum non modò utili tractatu Anno 1601. V Vitebergæ divulgato explicare, sed & in eo à pag. 75. usq; ad 104. octodecim firmissimas demonstrationes ex verbis Apostoli, pro demonstranda perfectione Scripturarum, colligere, quas qui videre volet unā cum instantiis Jesuitarum, videat D. Gesnerum d.l. cum ad finem nos properare deceat, ne justo longior fiat tractatio.

178. Sed quid ad hoc Jesuitæ? Supradictum est, quod negativam hujus questionis per omnia teneant, statuentes, Scripturam sacram esse doctrinam mancam, mutilam & imperfectam, non continentem omnia, quæ ad fidem moresq; piæ vivendi pertineant, illumq; defectum sarcendum esse a sumento traditionum.

179. Sic enim Bellarminus sententiam suam informat; Nos inquit afferimus, non expressè contineri in Scripturis totam doctrinam necessariam, sive de fide, sive de moribus, at proinde præter verbum DEI scriptum requiri etiam verbum non scriptum, i.e. divinas & Apostolicas traditiones lib. 4. de verbo DEI non scripto cap. 3.

180. Ne verò Bellarminus hac querelâ & lamentabili accusatione alicui ex simplicioribus imponat, tenendum est I. duplex esse genus rerum, quæ in Scripturis traduntur. Quidam n. scitu omnibus sunt necessariæ quippe ipsam hominis salutem concernentes, & hoc rerum genus dilucidè & perspicue in Scripturis est expressum. Quidam verò res ad salutem non sunt necessariæ, neq; etiam ad ipsam essentiam cultus divini pertinent, qualia sunt ea omnia, quæ faciunt πεός τάξιν καὶ εὐχυμοσήνην, ubi genus saltem 1. Cor. 14. v. 26. & 40. non verò ipsam speciem rituum & ceremoniarum in Scripturis disertis verbis expressa esse ultrò largimur.

181. Deinde & illud 2. observationem meretur, duplieiter aliquid in Scripturis

contineri. Quædam enim formaliter & verbaliter simul, non modò quoad res, sed etiam quo ad verba in sacris continentur. Quædam verò formaliter duntaxat in sacris tantum extant, quorum verba, licet non reperiantur, res tamen ipsæ in sacris fundamento suo non destituuntur.

182. *Quibus observationibus præmissis facilis est confutatio argumentorum, quæ ab adversariis proferuntur, præsertim ubi enumerant res varias, quæ ignorari non possint, & tamen in Scripturis non contineantur.*

183. *Utpote, quod in V.T. sine dubio non minus fæmellæ quām masculi remedium aliquod externum habuerint, quo à peccato originali sint purgatæ, quemadmodum viri per circumcisionem, & tamen quale illud fuerit, nuspam habeatur in Scriptura. Sic quod Maria semper extiterit virgo, quod Pascha in N.T. sit celebrandum die Dominico, quod parvuli sint baptisandi, quod præter verbum D E I scriptum nullum sit aliud non scriptum, & quæ sunt hujus generis quæstiones aliae, de quibus in ipsa συζήσει, quas ad salutem cognitu necessarias esse putant: & tamen in Scriptura nullibi tractentur. Et ex hoc Capite dependet quoq;*

C A P U T S E X T U M.

De traditionibus Papisticis, quid de iis sentiendum.

An illæ traditiones sint verbum D E I non scriptum, & an pari pietatis affectu cum sacrâ D E I Scripturâ suscipienda sint?

184. *Traditiones, quas Romanenses nominant verbum non scriptum, & pro Apostolicis venditant, neq; simpliciter nos rejicimus, neq; etiam approbamus. Esse enim traditiones quasdam Apostolicas, vel ex illo 2. Thess. 2. v. 15. luculentissime patet.*

185. *Talis traditio Apostolica est, Libros Mosis & Prophetarum constituere Canonem V.T. Talis etiam traditio Apostolica est, quod hi ipsi libri, quos pro Apostolicis agnoscimus, γνωσίως sint Apostolici, quippe, quos Ecclesia primitiva ab ipsis Apostolis accepit. Talis traditio Apostolica est teste Ruffino, constitutio Symboli, quod Apostoli ante dispersionem in orbem terrarum congesserunt, & quæ sunt traditiones aliae his similes.*

186. *Esse deinde traditiones quasdam, (quas si ita lubet, Ecclesiasticas nominare licet) concernentes ritus in publicis congressibus Ecclesiasticis usitatos, facile largimur, quia tamen istos ritus, neq; sub absolutâ necessitate, ut omnium sint temporum, locorum, personarum, neq; sub opinione cultùs aut meriti; sed tantum ut inserviant ταύται, retinemus, freti illâ libertate Christianâ, in quâ C H R I S T U S nos afferuit, de iis propriè cum Romanensibus nobis non est negotium.*

187. *Sed de illis, quas non tam de moribus & ceremoniis Ecclesiasticis, quād de ipsis dogmatibus fidei sub Apostolorum nomine Ecclesiae obtrudere conantur, & quidem sub opinione necessitatibus, cultùs & meriti, quales sunt, Oblatio Missæ, Unctio Chrismatis, Orationes pro defunctis, primatus Episcopi Romani, Consecratio aquæ lustralis, Signatio crucis &c. de his & similibus controvèrtitur, an sint Apostolicæ nec ne? & an sub Apostolorum autoritate, ut verbum D E I non scriptum pari pietatis affectu cum ipso verbo D E I scripto suscipienda sint.*

188. *Hanc enim communiter omnes tenent sententiam Jesuitæ, duplex esse
ver-*

verbum D E I, ex quo via consequendi beatitudinem & felicitatem cognoscatur, scriptum & non scriptum, sive voce prolatum, quod illo longè antiquius. Quicquid igitur verbo hoc D E I non scripto proponatur, licet ex scripto verbo probari non possit, habere tamen parem autoritatem, eademq; fide esse credendum, sicut id, quod manifestum habet in Scripturis testimonium. Neq; jam post tot Concilia disputandum esse amplius de verbo non scripto sive traditionibus: sed simpliciter credendum sine ullâ probatione, quod illæ traditiones sint Apostolicæ, licet pugnare videantur cum Scripturâ.

189. Quemadmodum hanc assertionem totidem ferè verbis prodidit *Canisius* in opere *Catechetico* pag. 124. & 126. secutus autoritatem *Conciliiabuli Tridentini*, quod itidem sess. 4. decreto 1. *Traditiones pari pietatis affectu & reverentiâ cum V. Nobisq; T. libris suscipiendas fenerandasq; esse* decrevit.

190. Sed vanitatem hujus dogmatis ostensuri, veritatem verò orthodoxæ nostræ sententiæ certis argumentis demonstraturi, initio minimè negamus, quod sit verbum aliquod D E I non scriptum, sed vivâ voce prolatum.

191. Tale enim fuit, quod partim Patriarchis ante scriptiōnem librorum Moses innotuit, partim populo Judaico per Prophetas, partim deniq; per C H R I S T U M & Apostolos fuit traditum, priusquam illud literis consignaretur, illud tamen verbum non scriptum unum idemq; planè esse cum verbo D E I scripto, ex illo Apostolico probamus 2. Thess. 1. v. 15. Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam. Verum postquam jam verbum D E I literis est consignatum, & Ecclesiæ commendatum, præter illud verbum scriptum esse aliud aliquod verbum D E I non scriptum, pari, si non majori pietatis affectu suscipiendum cum scripto, illud est, quod etiam atq; etiam inficiamur, moti hoc arguimento.

192. Aut verbum illud non scriptum est verbo D E I scripto per omnia ἀνάλογον, vel est επεργενές. Si est ἀνάλογον, concidit ultrò distinctio ista inter verbum scriptum & non scriptum, siquidem unum jam idemq; erit specie ac numero verbum non scriptum & scriptum. Si verò est επεργενές & peregrinum, utiq; Apostolis illud verbum assignari non poterit, quos eadem & docuisse & scripsisse constat:

193. Deinde, traditiones istas, quas de dogmatibus fidei citra & præter D E I verbum scriptum sub Apostolorum nomine necessariò observandas credendasq; Ecclesiæ D E I obtrudunt Jesuitæ, neq; Apostolicas neq; observatu credituq; necessarias: sed pro falsis impiis & blasphemis habendas esse, ex his constat.

194. I. Quia nullâ, ne minima & in speciem saltem probabili conjecturâ probari potest, Apostolos unquam de ejusmodi rebus, quas sub Apostolorum autoritate Ecclesiæ commendant adversarii, quicquam definitivisse. Peso n. hoc (quod Jesuitæ admodum urgent) extitisse aliquando libros traditionum Apostolicarum, quia tamen ex quibusdam saltem Patribus fabulosis plerumq; ista probatio originem trahit, Insuper etiam Deus ipse libros istos, utpote Ecclesiæ suæ nec utiles, nec necessarios, interire passus est (si modè aliquando extiterunt) quis nobis fidem faciet, hoc vel illud dogma Pontificium in traditionibus istis fuisse comprehensum.

195. II. Quia assertio hæc Jesuitica haud parùm doctrinam Apostolicam, ejusdemq; sacrosanctam autoritatem imminuit & labefactat, quasi multa vel ex igno-

rantia, vel ex invidiâ & malignitate scriptis suis prætermiserint, quæ quidem ad glutis nostræ & cultûs divinî negotiū pertinere, ut, quorum sanè utrumq; manifeste falsum, & in B. Apostolorum cineres admodum injuriosum est statuere.

196. III. Repugnat Scripturæ perfectioni. Si enim usq; adeo perfecta est Scriptura, ut contineat omnia ad salutem necessaria, quorsum quæso traditiones? IV. Repugnat etiam cœlesti veritati de fundamento Ecclesiæ unico, si enim Ecclesia partim Scripturâ, partim traditionibus niteretur, non erit utiq; super unicum fundamentum Prophetarum & Apostolorum extructa, in quo imus angularis est CHRISTUS Eph. 2. v. 20. & 21. Ex quibus omnib. promptum est cuivis colligere, nullum (sensu quidem Pontificio) extare verbum DEI non scriptum, nullasq; esse traditiones pari fide cum ipsâ Scripturâ recipendas.

C A P U T S E P T I M U M E T U L T I M U M.

De lectione Scripture.

An laicis & hominibus plebeis sit concessa Bibliorum lectio?

197. Per laicos sive plebeios Curia Romana intelligit, omnes in universum homines, qui non sunt ordinis Ecclesiastici, sive sint Reges, sive Principes, sive etiam Idiotæ, hos omnes Pontificii prohibitione peculiari à lectione Codicis Biblici arcent, ne forte intelligere discant, quantum à divini verbi puritate distet Idololatria Ecclesiæ Papana Religio.

198. Esse verò laicis (i. e. non tantum Ecclesiæ Doctoribus & Episcopis, sed etiā auditoribus, adeoq; omnibus Christianis, cujuscunq; sint ordinis, conditionis & ætatis) à DEO concessam, partim etiam mandatam sacram literarum lectionem, ex subjunctionis rationibus perspicuum evadit.

I. Quia eadem est doctrina, quæ nunc in libris Canonicis legitur, & quæ primi ex ore Prophetarum & Apostolorum à plebeis auditione suscepta est, juxta illud Exod. 4. v. 3. & 4. Deut. 31. v. 10. & seqq. Luc. 1. v. 2. & 3. Col. 1. v. 28. Si igitur plebeis auribus haurire licuit verbum DOMINI, quidni etiam permisum fit iis, qui aliquâ literarum cognitione tincti sunt, & rationem callent legendi, ut illud etiam legant, & ita oculis & mentibus suis infigant.

II. Quia homines plebei ad legendam Scripturam expressis DEI præceptis in sacris astringuntur, juxta illud Deut. 17. v. 18. 19. Joh. 5. v. 39.

III. Quia libri Scripturæ Canonici DEO comprobante à laicis in V. & N.T. sunt tractati & lectitati, quemadmodum in V. T. exemplo sunt Ezechias 2. Par. 31. v. 20. & 21. Josias 2. Par. 34. v. 30. in N.T. Eunuchus Aethyops qui Hierosolymis digressus sedens in rhedâ Esaiam legebat, approbante DEO, qui Philippum mittebat, ut ejus ductu viam veritatis ingrederetur, Act. 8. v. 26. & Berrhoenses non reprehenduntur, sed laudantur potius à Spiritu sancto, quod recepto sermone DEI quotidiè scrutati sunt Scripturas, an audita ab Apostolis ita in Scripturis se habarent Act. 17. v. 11.

IV. Quia libri quidam Scripturæ S. à Prophetis & Apostolis etiam plebeis luctulentis compellationibus & inscriptionibus ad legendum sunt dedicati, juxta illud Jos. 24. v. 26. & 27. Rom. 1. v. 1. & 7. 1. Cor. 1. v. 1. & 2. Epes. 1. v. 1. cap. 2. v. 3. & 4. Phil. 1. v. 1. 1. Johan. 2. v. 12, 13. & 14.

V. Quia

V. Quia peculiaribus adminiculis & subsidiis ad lectionem librorum sacrorum fructuosam accommodatis, Deus ipse laicis inservire voluit, quale praecipuum inter alia illud est, quod sacra Biblia in sermonem cuiusq; fermè gentis vernaculum fint translata.

VI. Quia Bibliorum sacrorum lectione non minus plebei opus habent, quam Ecclesiarum præpositi & Doctores. Opus enim habent 1. notitiâ viæ, quâ itur ad vitam æternam, hujus verò index est Scriptura sacra juxta 2. Tim. 3. v. 15. Opus habent 2. fide, quâ sine impossibile est placere Deo, illa verò è lectione Scripturæ concipitur, juxta illud Joh. 20. v. 31. Opus habent 3. præceptis & exemplis, quibus ad vitam pië & honestè transfigendam instruantur, illa verò è sacra Scripturâ desumi possunt Deut. 29. v. 29. Opus habent 4. Sapientiâ, per quam possunt discernere & probare Spiritus, & declinare Pseudoprophetas Matth. 7. v. 15. 1. Thess. 5. v. 20. & 21. 1. Joh. 4. v. 1. Talis verò sapientia è Scripturis hauriri potest ac debet, juxta illud 2. Petr. 1. v. 19. Opus habent 5. doctrinâ, consolatione, adhortatione, correctione, quæ itidem ex Scripturis desumi possunt Rom. 15. v. 4. 2. Tim. 3. v. 14. & seqq.


199. Ex quibus omnibus manifestum est, monstri quid alere Pontificios interdicto hoc lectionis sacrorum Bibliorum, ut videlicet sub hâc crassâ Scripturæ ignorantia apud laicos, eò licentius universum Religionis opus ad libitum suum versari possint, ne laici & plebei errore & superstitione Pontificiâ intricati, veram & catholicam fidem agnoscant, sed sub cinereis & densissimis istis tenebris perpetuò maneant, non habentes, unde rectum doceantur, vel rectum discant.


200. CHRISTUS JESUS verò fons omnis lucis & sapientiæ sacrosanctum hoc verbi sui depositum, tam apud nos illibatum conservare, quam ad seram usq; posteritatem propagare, & à Jesuitarum corruptelis magis magisq; vindicare dignetur, cui cum Patre & Spiritu sancto sit gratia, laus, honos & gloria in omnes seculorum æternitates,

A M E N.

F I N I S.







Farbkarte #13

Inches	Centimetres	B.I.G.
8	19	Black
7	18	3/Color
6	17	White
5	16	Magenta
4	15	Red
3	14	Yellow
2	13	Green
1	12	Cyan
1	11	Blue

Ecclesiæ Theologicæ
Disputatio I.
opposita
inationi Pontificie in Articulo
De
CRA SCRIP-
TURA.
In Collegio Privato,
TO Servatore docente
& adjuvante
Ad examinandum,
proposita
In Academiâ Lipsiensi
die 1. Decembr. Anno
M. DC. XIIIX.
Præside
OMA WEINRICHIO,
pol, Baccal. Diac. ad D. Nicol. ibid.
Respondente
ASARE HILSCHERO, Hirsch-
ensi Silesio, SS. Theol. Studio.
Lipsie,
et FRIDERICUS LANCKISCH.

T 162 (1)